Fr. HIERONYMUS MARIA MILETA
ORD. FR. MIN. CONV.

ENCHIRIDION

PRO DIRECTORIBUS CONGREGATIONUM

TERTII ORDINIS SAECULARIS

S. P. FRANCISCI ASSISIENSIS

Property of
CBF
Please return to
Graduate Theological
Union Library

ROMAE
TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
1913

PROPRIETAS LITTERARIA

#2624

Cum Opus, cui titulus *Enchiridion pro Directoribus Congregationum Tertii Ordinis Saecularis S. P. Francisci Assisiensis*, ab A. R. P. M. Hieronymo M. Mileta O. N. Socio et Assistente Generali concinnatum, aliqui eiusdem Ordinis revisores, quibus id commissum fuit, recognoverint, et in lucem edi posse probaverint, facultatem concedimus ut typis mandetur, si ita iis ad quos pertinet videbitur. Ex parte autem nostra, omnibus qui curam gerunt Congregationum III Ordinis Franciscalis, idem Opus libenter atque enixe commendamus.

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo Ordinis nostri munitas dedimus.

Datum Romae, in Solemnitate Sancti Ioseph Sponsi B. M. V., die 13 Aprilis 1913.

L. ✠ S.

Fr. Franciscus Maria Dall'Olio
Vicarius Generalis Ord. Fratrum Min. Conv.

IMPRIMATUR:

Fr. Albertus Lepidi, Ord. Praed., *S. P. A. Magister.*

IMPRIMATUR:

Franciscus Can. Faberj, *Vicariatus Urbis Adsessor.*

MODERATORIBUS TERTII ORDINIS

Tertius Ordo a Pauperum Patriarcha institutus assimilari iure potest arbori magnae, amplissimis decoratae ramis, qui varios et innumeros dederunt in Ecclesia Dei fructus honoris et honestatis. Nec manus Domini abbreviata est; a septem enim saeculis, ab anno nempe 1221, Tertius Ordo milites Christi sub Crucis vexillo ad victoriam ducit, Summis Pontificibus praeeuntibus, viamque explanantibus.

Summorum Pontificum adiutoribus in Tertii Ordinis agmine ad portum salutis ducendo, Superioribus nempe Franciscalis Ordinis, eorumque Delegatis, totis viribus adnitendum est ut probe sciant qua ratione Fratres et Sorores Tertii Ordinis in perfectionis christianae semita dirigant.

Haec causa est Operis huius, quo Documenta S. Sedis Tertium Ordinem saecularem S. Francisci Assisiensis quoquo modo spectantia, in mentem Moderatorum revocantur, additis opportune probatorum Auctorum placitis.

Praemissis Actibus solemnioribus Summorum Pontificum Leonis XIII et Pii X de Tertio

Ordine tractantibus: opus trifariam partitur. Primo de Tertii Ordinis legibus, iuxta praefatorum Pontificum statuta, agitur. Dein de Indulgentiis, quas Tertii Ordinis sodales lucrari valent, et de conditionibus ad id implendis. Tandem Tertii Ordinis Caeremoniale a SS. Rituum Congregatione approbatum subiicitur.

Seraphicus Pater hoc qualecumque opus e coelo benedicat.

ACTA SOLEMNIORA

LEONIS XIII ET PII X SUMMORUM PONTIFICUM

DE TERTIO ORDINE SAECULARI

S. FRANCISCI ASSISIENSIS

I. - Epistola Encyclica Leonis Pp. XIII

Ad Episcopos universos catholici Orbis de Sancto Francisco Assisiensi, et de Tertio Franciscalium Ordine.

Auspicato concessum . . . Incredibile dictu est, quanta inclinatione animorum ac prope impetu ad Franciscum turba raperetur. Assectabantur maximo concursu, quacumque ille ingrederetur: nec raro ex oppidis, ex urbibus frequentioribus universi promiscue cives homini erant supplices, ut se vellet in disciplinam rite accipere. Quamobrem caussa nata est viro sanctissimo, cur sodalitatem *Tertii Ordinis* institueret quae omnem hominum conditionem, omnem aetatem, utrumque sexum reciperet, nec familiae rerumque domesticarum vincula abrumperet. Eam quippe prudenter temperavit non tam legibus propriis, quam ipsis legum evangelicarum partibus: quae sane nemini christiano graviores videantur. Videlicet *praeceptis Dei Ecclesiaeque obtemperetur, absint factiones et rixae: nihil detrahatur de aliena re: nisi pro religione, patriaque, ne arma sumantur: modestia in victu cultuque servetur: facessat luxus:*

periculosa chorearum artisque ludicrae lenocinia vitentur.

Facile est intelligere permagnas manare utilitates ex huiusmodi instituto debuisse cum salutari per se, tum ad eam tempestatem mirabiliter opportuno. Quam opportunitatem et satis indicant coalitae eiusdem generis ex Dominicana familia aliisque Ordinibus sodalitates, et eventus ipse confirmat.

Sane illi Franciscalium Ordini nomen dare inflammato studio summaque voluntatum propensione ab infimis ad summos vulgo properabant. Optarunt ante alios hanc laudem Ludovicus IX Galliarum rex, et Elisabetha Hungarorum regina: successere aetatum decursu plures ex Pontificibus maximis, item ex Cardinalibus, ex Episcopis, ex Regibus, ex Dynastis, qui omnes insignia Franciscalia non aliena esse a dignitate sua duxerunt.

Sodales Tertii Ordinis animum suum in tuenda religione catholica pium aeque ac fortem probavere: quarum virtutum si magnam ab improbis subierunt invidiam, ea tamen, quae honestissima est atque unice expetenda, sapientium et bonorum approbatione numquam caruerunt. Imo Gregorius ipse IX Decessor Noster fidem ipsorum ac fortitudinem publice gratulatus, minime dubitavit et auctoritate sua defendere, et *milites Christi, Machabaeos alteros,* honoris caussa, appellare. Neque carebat veritate laus. Magnum enim salutis publicae praesidium erat in illo hominum ordine: qui propositis sibi Auctoris sui virtutibus et legibus, perficiebant, quoad facultas ferret, ut christianae honestatis decora in civitate reviviscerent. Certe *ipsorum opera exemplisque extinctae saepe aut delinitae sunt factionum partes: erepta ab effera-*

torum dextris arma: litium et iurgiorum caussae sublatae: parta inopiae et solitudini solatia: castigata, fortunarum gurges et corruptelarum instrumentum, luxuria. Quare pax domestica et tranquillitas publica, integritas morum et mansuetudo, rei familiaris rectus usus et tutela, quae sunt optima humanitatis incolumitatisque firmamenta, ex Tertio Franciscalium Ordine, tamquam ex stirpe quadam, gignuntur: eorumque bonorum conservationem magna ex parte Francisco debet Europa.....

Sed quoniam ille eius spiritus, omnino excellenterque christianus mirifice est ad omnia et loca et tempora accommodatus, nemo dubitaverit, quin Franciscalia instituta magnopere sint aetate hac nostra profutura. Eo vel magis, quod horum temporum ratio ad illorum rationem pluribus ex caussis videtur accedere....

Idcirco sicut semper antea Tertio Franciscalium Ordini singularem curam adhibuimus, ita nunc summa Dei benignitate ad gerendum Pontificatum maximum vocati, cum inciderit ut id peropportune fieri possit, *christianos homines hortamur, ut nomen dare sanctae huic Iesu Christi militiae ne recusent.* Plurimi numerantur passim ex utroque sexu, qui Patris Seraphici vestigiis alacri animo iam ingrediuntur. Quorum laudamus tale studium vehementerque probamus, ita tamen ut illud augeri et ad plures propagari, Vobis praesertim adnitentibus, Venerabiles Fratres, velimus. Et caput est commendationis Nostrae, ut qui insignia *Poenitentiae* induerint, *imaginem spectent sanctissimi Auctoris sui, ad eamque contendant: sine qua, quod inde expectaretur boni, nihil esset.*

Itaque date operam, ut *Tertium Ordinem* vulgo noscant atque ex veritate aestiment: providete, ut

qui curam gerunt animarum, doceant sedulo qualis ille sit, quam facile unicuique pateat, quam magnis in animorum salutem privilegiis abundet, quantum utilitatis, privatim et publice polliceatur. In quo eo magis est elaborandum quod sodales Franciscales Ordinis Primi et Alterius gravi in praesens perculsi plaga indigne laborant. Hi quidem utinam, Parentis sui patrocinio defensi, celeriter ex tot fluctibus vegeti et florentes emergant! Utinam etiam christianae gentes ad disciplinam Tertii Ordinis confluant, ita alacres itaque frequentes, uti olim undique ad Franciscum ipsum sese certatim effundebant!

Hoc autem maiore contentione et potiore iure ab Italis speramus, quos unius patriae necessitudo et uberior acceptorum beneficiorum copia propensiore iubet esse in Franciscum animo, et maiores eidem gratias habere.

Ita sane septem post saeculis Italicae genti et omni christiano orbi contingeret, ut se a perturbatione revocatum ad tranquillitatem, ab exitio ad salutem, hominis Assisiensis beneficio sentiret. Id quidem communi prece, per hos dies maxime ab ipso Francisco flagitemus: idem contendamus a Maria Virgine Matre Dei, quae famuli sui pietatem ac fidem coelesti tutela donisque singularibus perpetuo remuneravit. . .

Datum Romae apud S. Petrum die XVII septembris anno MDCCCLXXXII, Pontificatus Nostri anno quinto .

II. - Constitutio Leonis Pp. XIII

De lege Franciscalium Tertii Ordinis saecularis.

LEO EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Misericors Dei Filius, qui, suavi iugo et levi onere hominibus imposito, omnium vitae et saluti consuluit, Ecclesiam a se conditam non potestatis solum sed etiam misericordiae suae reliquit haeredem, ut parta per ipsum beneficia ad omnes saeculorum aetates eodem semper charitatis tenore propagarentur. Propterea quemadmodum in iis, quae Iesus Christus in omni vita vel gessit vel praecepit, mitis illa sapientia et invictae magnitudo benignitatis eluxit, sic pariter in singulis christianae reipublicae institutis mira quaedam eminet indulgentia et lenitas, ut plane vel in hac ipsa re similitudinem Dei, qui *charitas est*, gerere Ecclesia videatur. Illud est autem munus pietatis huius maternae maxime proprium, accommodare sapienter leges, quoad fieri potest, ad tempora, ad mores, et in praecipiendo exigendoque summa semper aequitate uti. Atque huiusmodi consuetudine charitatis simul et sapientiae efficitur, ut immutabilitatem doctrinae absolutam et sempiternam cum prudenti disciplinae varietate Ecclesia coniungat.

Hac Nos ratione animum et mentem Nostram in gerendo Pontificatu conformantes, officii Nostri ducimus eo, quo aequum est, iudicio aestimare naturam temporum, et omnia circumspicere, ne quem

difficultas deterreat ab utilium exercitatione virtutum. Et nunc quidem perpendere ad hanc normam placuit sodalitatem Franciscalium *Ordinis Tertii,* qui *saecularis* dicitur, diligenterque statuere num leges eius modice temperari ob mutata tempora oporteret.

Praeclarum istud Francisci patris institutum vehementer pietati christianorum commendavimus per litteras Encyclicas *Auspicato,* quas die XVII septembris anno superiore dedimus. Dedimus autem hac voluntate atque hoc unice proposito, ut quanto plures possent ad sanctitatis christianae laudem invitatione Nostra tempestive revocarentur. Origo quippe est maxima et malorum quae premunt, et periculorum quae metuuntur, neglecta christiana virtus: alteris vero mederi, atque altera deprecari non alia homines ratione possunt, quam maturando privatim et publice ad Iesum Christum reditu, *qui salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum.* Iamvero in curandis Iesu Christi praeceptis instituta Franciscalia tota sunt posita: neque enim quicquam spectavit aliud Auctor sanctissimus, quam ut in iis, velut in quadam palaestra, diligentius vita christiana exerceretur. Profecto Ordines Franciscales duo priores, magnarum virtutum informati disciplinis, perfectius quiddam diviniusque persequuntur: sed paucorum sunt, nempe eorum quibus Dei munere concessum est ad evangelicorum consiliorum sanctitatem singulari quadam alacritate contendere. Verum Tertius Ordo natus aptus est multitudini: et quantum possit ad mores iustos, integros, religiosos superiorum temporum monumenta et res ipsa declarat.

Auctori autem et adiutori bonorum consiliorum Deo acceptum referre debemus, quod illis cohor

tationibus Nostris clausae aures populi christiani non fuerunt. Imo vero plurimis ex locis perfertur excitata erga Franciscum Assisiensem pietas, auctusque passim numerus sodalitatem Tertii Ordinis expetentium. Quapropter velut incitamenta currentibus praebituri, illuc decrevimus cogitationem intendere, unde impediri aut retardari aliquatenus posse animorum salutaris iste cursus videbatur. Et primum quidem perspeximus, Regulam Tertii Ordinis quam Nicolaus IV Decessor Noster. probavit confirmavitque Constitutione Apostolica *Supra Montem* die XVIII Augusti MCCLXXXIX, non omnino iis, quibus nunc vivitur, temporibus atque moribus respondere. Hinc cum expleri suscepta officia sine molestia et labore nimio non possint, pleraque legum capita condonare sodalium precibus hactenus necesse fuit: quod quidem sine disciplinae communis detrimento fieri non posse, facile intelligitur.

Deinde alia quoque in eadem sodalitate erat caussa, quae Nostras sibi curas vindicaret. Nimirum Romani Pontifices Decessores Nostri Tertium Ordinem iam inde a natali suo summa benevolentia complexi, Indulgentias complures et satis amplas in expiationem admissorum sodalibus concessere. Quarum ratio effecta est annorum decursu perplexior: atque illud in contentionem saepe veniebat, num de pontificali indulgentia certis in caussis constaret, et quo tempore, quove genere eadem uti fas esset. Certe desiderata non est Apostolicae Sedis hac in re providentia: ac nominatim Benedictus XIV Pont. Max. Constitutione *Ad Romanum Pontificem* die XV Martii anno MDCCLI tollendas priores dubitationes curavit; non paucas tamen, ut fere fit, denuo attulit dies.

Quamobrem huiusmodi incommodorum cogitatione adducti, ex sacro Consilio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis tuendis praeposito aliquot S. E. R. Cardinales destinavimus, qui leges Tertiariorum pristinas cum cura recognoscerent; item Indulgentias et privilegia omnia in commentarium relata examinarent: adhibitoque intelligenti iudicio, hac de re ad Nos referrent, quid retinendum quidve novandum pro temporum conditione censuissent. Transacto, uti imperatum erat, negotio, ii quidem Nobis auctores fuerunt, leges veteres, flecti atque accommodari ad has recentes vivendi consuetudines oportere, cum quorumdam capitum immutatione nonnulla. De Indulgentiis vero, ne qui relinquatur haesitandi locus, prohibendique caussa periculi, ne quid non iure fiat, arbitrati sunt, Nos ad exemplum Benedicti XIV sapienter utiliterque facturos, si revocatis âbrogatisque Indulgentiis omnibus, quae hactenus valuerant, alias quasdam ex integro eidem sodalitio decreverimus.

Ergo quod bonum felixque sit, Dei gloriam amplificet, et pietatis virtutumque ceterarum studia magis accendat, Nos his Litteris Auctoritate Nostra Apostolica Legem Franciscalium Ordinis Tertii, qui *saecularis* dicitur, eo modo quo infra descripta est, novamus et sancimus. Quo tamen facto nihil demptum de ipsa Ordinis natura putetur; quam omnino volumus immutatam atque integram permanere. Praeterea poenarum remissionibus, seu Indulgentiis, privilegiisque, quae infra in indice recensentur, eosdem sodales uti posse volumus et iubemus, sublatis penitus Indulgentiis privilegiisque universis, quae eidem sodalitio haec Apostolica Sedes quocumque vel tempore, vel nomine, vel forma ante hanc diem concesserat. (*Regula*

Tertii Ordinis profertur infra Parte I, Tit. I, Indulgentiae vero Parte II, Tit. I.)....

Atque haec omnia et singula, uti supra decreta sunt, ita firma, stabilia, rata in perpetuum esse volumus: non obstantibus Constitutionibus, Litteris Apostolicis, statutis, consuetudinibus, privilegiis, aliisque Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis et contrariis quibuscumque. Nulli ergo hominum liceat has Litteras Nostras ullo modo, ullave ex parte violare. Si quis autem adversus eas tale quicquam ausit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo octogesimo tertio, III kalendas iunias, Pontificatus Nostri anno sexto.

C. Card. SACCONI *Pro Datarius.* — Th. Card. MERTEL.

VISA

De Curia I. De Aquila e Vicecomitibus.

Loco ✠ Plumbi.

Reg. in Secret. Brevium. I. Cugnonius.

III. - Breve Apostolicum Leonis Pp. XIII

Quo Tertio Ordini sacculari novae conceduntur indulgentiae ac spirituales gratiae.

LEO PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Qui multa ad incolumitatem et prosperitatem Tertii Ordinis Sancti Francisci Assisiensis in diuturno Pontificatu Nostro constituimus, decrevimus, egimus, et nonnihil ex veteri illius disciplina et re-

gula, prout temporum opportunitas postulabat, vel temperavimus, vel renovavimus, volumus nunc communia Sociorum eiusdem Ordinis explere desideria, quae non mediocrem confidimus allatura Ecclesiae catholicae utilitatem ac fructum. Nos quidem maximas plurimasque gratias agere et habere debemus Deo, cui uni acceptum referimus, quod populus christianus, in tanta praesertim morum desidia et segnitie, cohortationibus et invitationibus Nostris faciles dediderit aures, atque excitata sit erga Seraphicum Patrem pietas, auctusque numerus Sodalitatem Tertii Ordinis expetentium.

Hoc Nobis luculenter demonstrat neglectas non iacere christianas virtutes, per quas facile mederi possumus malis, quibus affligimur, et propulsare pericula quae formidamus. Tertius enim Ordo, qui et saecularis dicitur, natus aptus multitudini ab Auctore suo ita est constitutus, ut in eo, velut in quadam palaestra, diligentius vita Christiana exerceatur, in exemplum Illius, qui dixit: « *Ego sum via, veritas et vita* ». Profecto Ordines Franciscales priores duo, magnarum virtutum informati disciplinis perfectius quiddam diviniusque consectantur: *Tertius* autem *Ordo Socios suos ad mores provocat iustos, pios, integros, atque inter domesticos parietes vitae honestatem plus quam sanctimoniam docet.* Donec igitur animorum salutaris iste cursus non retardetur, et *Tertius Ordo Franciscalis Sociorum numero et pietate floreat,* Nos spem bonam habebimus, futurum ut *populus Christianus velit aliquando privatim et publice ad Iesum Christum reditum maturare.*

Quum vero catholici homines maxime trahantur spiritualium bonorum praemio, Nos velut cur-

rentibus incitamenta praebituri, illuc voluimus animum et cogitationem intendere, unde illi ad Tertium Ordinem citius possint adduci. Quapropter dilectis Filiis Ministris Generalibus Ordinis Minoritici, Ordinis Minorum tum Conventualium, tum Capulatorum, et Tertii Ordinis Regularis annuentes, rogata etiam sententia Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, loco spiritualium gratiarum et Indulgentiarum, quibus Sodales saeculares Tertii Ordinis Sancti Francisci vi communicationis obtentae die VII Iulii MDCCCXCVI per Breve Nostrum Apostolicum ad quinquennium valiturum cum Primo et Secundo Ordine Seraphico perfruebantur, omnes et singulas indulgentias defunctis etiam ad modum suffragii applicabiles, aliasque spirituales gratias, prout in infrascripto indice referuntur, iisdem Tertiariis Apostolica Auctoritate Nostra in perpetuum concedimus et largimur. *(Indulgentiae proferuntur Parte II, Tit. I)*. . . Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Volumus autem, ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus habeatur fides, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die VII Septembris MDCCCCI, Pontificatus Nostri anno vigesimo quarto.

Loc. ✠ Sig.

ALOIS. Card. MACCHI.

IV. - Litterae Pii Pp. X

Ad Ministrum Generalem Ordinis Minorum de Tertio Ordine, quibus conceditur Tertiariis communicatio Indulgentiarum et bonorum spiritualium cum Primo et Secundo Ordine.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Sodalium e Tertio Ordine beati Francisci hoc in praecipuis laudibus semper fuit, singulari observantia studioque Pontificem Romanum colere: neque id mirum, praelucente exemplo sanctissimi Auctoris, qui uti Iesum Christum dilexit unice, ita in amore erga Vicarium Christi nemini cessit.

Talis Tertiariorum animus in publicum Ecclesiae parentem praeclare, haud ita pridem, extitit multiplici declaratus testimonio, quum quinquagesimus sacerdotii Nostri annus volveretur. Nam et plurimi sacras celebrarunt synaxes Nostra caussa, et communiter non pauca, ut Nobis gratificarentur, in Deum, benigne proximis fecerunt, et paupertati Nostrae subvenire studuerunt, pro facultatibus collata stipe.

Haec sane, ut erat consentaneum, Nobis vehementer placuerunt: propterea que cupimus, ut cunctis qui suam in Nos pietatem ita probarunt diligenter, Nostro nomine gratias agas.

Iidem autem per te volumus intelligant, nihil tam gratum acceptumque Nobis fore, quam si praescripta Ordinis sui sedulo custodiant: ita enim multum ad eam conferent rerum instaurationem in Christo, quam Nos usque a principio Pontifi-

catus propositam habemus. Nempe sollicitat Nos formidolosa inclinatio horum temporum: siquidem tam multos iam cepit oblivio aut fastidium christianae sapientiae, ut rursum, proh dedecus, pullulare probra vetustatis ethnicae scita et instituta incipiant: quae quidem timor est ne societatem domesticam et consuetudinem civilem et administrationem reipublicae penitus corrumpant. Omnino his tantis malis occurrant opus est, quicumque beneficia divinae redemptionis conservata humano generi volunt; iique pro viribus contendant revocare devios, si minus singuli praeconio veritatis, at certe exercitatione virtutis: mirifice quippe exempla valent ad persuadendum: maxime, si ad lumen optimorum morum sollers industria christianae caritatis accesserit. Iamvero in hoc genere ceteros, qui inter curas saeculi versantur, antecedant oportet sodales ex Ordine Poenitentiae: quibus a Francisco ea data lex est, ut communia catholicae professionis officia sancte inviolateque servent, ut scilicet quod facere omnes Ecclesiae filii debent, id multo religiosius ipsi faciant atque adeo et intra domesticos parietes et in luce civitatis documento aliis sint christianarum virtutum. Qui utinam, quotquot ubique numerantur, (sunt enim, Dei beneficio, frequentes in quovis ordine civium) omnes ad sua quisque exequenda officia diligentiam adhibeant accommodatam temporibus; iam gradus fiat ad eam felicem conversionem rerum, quae in votis est. Ergo sodalitatem Franciscalium Tertiariorum Decessor Noster illustris instauravit, hunc fructum spectans communis boni: Nosque in eamdem spem ingressi, quod ille constituit, omni ope promovendum putamus. Quare, dilecte fili, eos tu universos hortare, No-

stris verbis, etiam atque etiam quid a se sua ipsorum utilitas, quid aliorum salus postulet, atque ita se gerant, ut, quam Nobis et Ecclesiae expectationem sui commovent, eam explere, Deo favente, possint.

Ceterum, singularem iis pollicere benevolentiam caritatemque Nostram, cuius quidem ut aliquod extet monumentum, *statuimus in perpetuum, ut quibus pontificalis indulgentiae donis fruuntur quosque de bonis operibus spirituales fructus percipiunt familiae seraphicae Primi et Alterius Ordinis, ea omnia Tertiarii Franciscales quotquot sunt utriusque sexus et cuiusvis instituti, vitae mortisque tempore participent.* Huius autem rei ut certiores, ad quos pertinet, facias, tibi mandamus.

Auspicem divinorum munerum ac testem benevolentiae Nostrae, tibi, dilecte fili, et universitati Franciscalium Tertiariorum Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die v Maii MCMIX, Pontificatus Nostri anno sexto.

PIUS PP. X.

V. - Rescriptum Pii Pp. X

De mutua communicatione Indulgentiarum et spiritualium fructuum inter Seraphici Patris asseclas.

Beatissime Pater,

Frater Dionysius Schuler, totius Ordinis Fratrum Minorum Minister Generalis, ad Sanctitatis Vestrae Pedes humiliter provolutus, sequentia exponit:

Sanctitas Vestra, per Litteras Oratori datas sub die 5 curr. mensis Maii statuere dignata est, « ut quibus pontificalis indulgentiae donis fruun « tur quosque de bonis operibus spirituales fructus « percipiunt familiae seraphicae Primi et Alterius « Ordinis, ea omnia Tertiarii Franciscales quot- « quot sunt utriusque sexus et cuiusvis instituti, « vitae mortisque tempore participent ». Iamvero, Tertiariis nostris in amplissimam Indulgentiarum et spiritualium fructuum communicationem auspicato vocatis, congruum esse videtur, ut Primi et Secundi Ordinis alumni participes reciproce fiant Indulgentiarum et spiritualium fructuum Tertiariorum. Itaque Sanctitatem Vestram suppliciter exorare Orator audet, ut ex apostolica benignitate concedere dignetur, quatenus *laudata Indulgentiarum et spiritualium fructuum mutua communicatione perfrui in perpetuum possint quotquot sub Patriarchae Seraphici S. Francisci vexillo militant ad quemcumque Ordinem vel Ordinum Familiam pertineant.*

Ob quam gratiam, etc.

Iuxta preces perlibenter in Domino.

Die 17 mensis Maii an. 1909.

PIUS PP. X.

Rescriptis dd. 20 Decembris 1910 et 18 Ianuarii 1911 S. Congregatio S. Officii authentice declaravit sibi exhibitas et a se recognitas fuisse :

a) Concessionem diei 5 Maii 1909, qua Summus Pontifex Pius X in perpetuum Tertio Ordini communicavit Indulgentias Primi et Secundi Ordinis S. P. N. Francisci.

b) Concessionem diei 17 Maii 1909, qua idem Summus Pontifex largitus est, ut mutua Indulgentiarum communicatione perfrui in perpetuum possint quotquot sub Patriarchae Seraphici S. Francisci vexillo militant, ad quemcumque Ordinem vel Ordinum Familiam pertineant (Acta Ordinis Fratrum Minorum, anno XXX seu 1911 pag. 242-243).

VI. - Epistola Pii Pp. X

De disciplina Tertii Ordinis caute moderanda ne ulla in re ab instituto deflectat.

Dilectis Filiis, Pacifico Monza, Victori Mariae Sottaz, Pacifico a Seiano, trium familiarum Primi Ordinis Minorum Ministris Generalibus.

Dilecti Filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Tertium Franciscalium Ordinem, quem saecularem vocant, toto terrarum orbe diffusum, sodalium non solum numero sed etiam industria florere, certissimo argumento sunt et multiplices de rebus Ordinis commentarii, et crebrae ad loca sacerrima peregrinationes, et frequens celebratio conventuum, e quibus eum commemorare libet, qui in hac alma Urbe Nostra nuper est habitus. Haec sane laetabilia sunt, Nobisque dant causam gratulandi vobis, dilecti Filii, quibus sodales Tertiarii magistris et ducibus utuntur. — *Sed tamen non vos celabimus de timore quodam, in quo Nos iam dudum ob nonnulla indicia sumus, ne, per speciem melius merendi de humana societate, studium parum sapiens rerum novarum sese in Tertiariorum Ordinem alicubi insinuet, eumque sensim ab instituto suo, quale Franciscus sanctissimus voluit*

esse, detorqueat. Itaque, ut de re tam gravi Nostra vobiscum consilia communicemus, vos, dilecti Filii, paulo fusius affari hodie constituimus.

Primum omnium, opus esse ducimus, dilecti Filii, magis ac magis declarare vulgo, quid ex voluntate Patris legiferi sit Ordo Tertius, quid tamquam finem ille spectet; atque ostendere non hunc ab aliis duobus natura differre, sed eo tantum quod propria quadam ratione ad idem propositum contendit. Etenim, ut ait decessor Noster fel. rec. Leo XIII, « in curandis Iesu Christi praeceptis Instituta Franciscalia tota sunt posita; neque enim « quicquam spectavit aliud Auctor sanctissimus, « quam ut in iis, velut in quadam palaestra, dili« gentius vita christiana exerceretur. Profecto Or« dines Franciscales duo priores, magnarum vir« tutum informati disciplinis, perfectius quiddam « divinius que persequuntur : sed paucorum sunt, « nempe eorum, quibus Dei munere concessum est « ad evangelicorum consiliorum sanctitatem singu« lari quadam alacritate contendere. Verum Ter« tius Ordo natus aptus est multitudini; et quantum « possit ad mores iustos, integros, religiosos, supe« riorum temporum monumenta et res ipsa decla« rant » (Const. *Misericors Dei Filius*). Ceterum ipse Assisiensis Patriarcha, cum Tertium Ordinem appellatione *Fratrum de Paenitentia* distinxit, satis aperte docuit illa duo esse Tertiariorum propria : fraternam inter se concordiam et studium Paenitentiae.

Quod autem ad primum attinet, nullo quidem tempore Romanorum Pontificum decessorum Nostrorum curae cogitationesque desideratae sunt in eo ut Tertiarii Franciscales, animorum coniunctione Seraphici Patris caritatem referentes, unum

veluti corpus omnes efficerent. Nos item Apostolicis Litteris « *Septimo iam pleno saeculo* », *religiosos Ordinis prioris cohortati sumus meminissent fraterna se charitate inflammatos esse oportere*, quam quidem decet esse tantam ut in Tertium quoque Ordinem redundet. Eam ceterum caritatem non modo inter Tertiarios unius eiusdemque sodalitatis vigere opus est, sed etiam inter sodalitates Tertiariorum; quemadmodum vero varia cuiuslibet religiosorum Ordinis coenobia, sic Ordinis Tertii sodalicia amico foedere colligantur natura sua. Iuvat hoc loco ea commemorare, quae Nos, die XVII decembris anno MCMIX, ad Tertiarios Urbanos scripsimus : « Quum sit exploratum vires coniunctas « efficaciores esse quam singulas, cernere licet « quam studiose catholici nominis hostes in unum « conglobentur, ut nefaria certius proposita contin- « gant. Ergo ad repugnandum istis congruenter, « oportet omnes boni coëant, iique in primis qui « ex instituto Patriarchae Assisiensis et ipsi chri- « stiane sapere ac vivere in exemplum, et christia- « nam fidem moresque in populo fovere ac tueri « debent ». Ergo *hanc virium coniunctionem ratam iterum habemus, ea tamen conditione, ut nova ne inducatur disciplina,* sed rationes mutuas quae inter sodalitates intercedunt, ipsi dumtaxat sodalitatum rectores moderentur.

Quod ad alterum pertinet, ut eiusdem decessoris Nostri verbis utamur : « caput est commen- « dationis Nostrae, ut qui insignia *Paenitentiae* in- « duerint, imaginem spectent sanctissimi Auctoris « sui, ad eamque contendant, sine qua, quod inde « expectaretur boni, nihil esset » (l. c.). Etenim hoc maxime mandatum Francisco Deus, teste Bonaventura, dedit, ut paenitentiam praedicaret,

atque homines ab amore huius saeculi ad Crucifixi amorem traduceret. Ille igitur, mortificationem Iesu semper in suo corpore circumferens, cum admirabile ubique et *mundi taedium* et *studium Crucis* excitasset, divinitus rationem iniit quemadmodum multitudini instituti sui percupidae satisfaceret simulque eam intra communis vitae fines contineret. Ita Tertius hic Ordo conditus est; qui quidem miritice salutaris tum Ecclesiae tum Civitati tamdiu fuit, *quamdiu natiram illam paenitentiae formam religiose retinuit.* Quare non est dubium, quin similes semper fructus sit laturus, *si eam ipsam formam simili modo in posterum retineat.*

Iam vero, ad utramque assequendam rem quam diximus, egregie comparatae sunt leges huius Ordinis; quibus propterea sancta esse Tertiariorum obtemperatio debet. - *Ante omnia, de sodalibus cooptandis cavctur ut sincerae sint fidei spectatique erga Ecclesiam Romanam Sedemque Apostolicam obsequii*, ad exemplum Francisci Patris, cuius fidem Nicolaus IV decessor Noster, in Constitutione *Supra montem*, amplissimis laudibus honestavit. — Et ne ea in periculo sit virtus, praecipitur, a legendis libris diariisque perniciosis se abstineant; quae vero scripta religionem tuentur, ea non modo lectitent, sed spargenda in vulgus disseminandaque curent; ad haec, quantum fieri poterit, Sacris in parochiali suo quisque templo adsint et curionibus operam navent in adulescentulis rudioribusque hominibus ad christianam doctrinam instituendis. — Mores deinde suos ita componere debent, ut absolutissimam christianae vitae rationem sequi videantur. Ergo studeant, delicato cultu, comissationibus, scenicis ludis procacioribus abdica-

tis, tum frequenter se paenitentia expiari et ad divinum Epulum accedere, tum familiae ac civibus exemplo esse, tum etiam a vitiis ad frugem bonam errantes revocare. — Sed illud in primis Tertiarios meminisse oportet, hoc se nomine minus fore dignos, nisi caritate in Deum proximosque inflammentur, et, qua Seraphicus Patriarca mirum in modum virtute praestitit, eamdem, velut Ordinis sui insigne, prae se ferant. Quoniam vero *probatio dilectionis exhibitio est operis,* hac adstringuntur lege ut benevolentiam omnem sodalibus alienisque praestent, componendasque discordias sedulo curent; aegrotos invisant; tenuiores, collata stipe, sublevent; omnia denique opera, quae *misericordiae* vocantur, peragere studeant.

Cum autem penes religiosos Primi Ordinis sit Ordinis Tertii gubernatio, ii sodalitatum praesides seu Visitatores eligantur qui sint in coenobii solitudine sancte versati, et Auctorem suum ita imitentur, ut virtutibus, quibus ipse praeluxit, possint Tertiarios sodales imbuere. — Verum in hac tanta acerbitate temporum, cum perpetuo metuendum est ne quid Ordini Priori calamitatis impendeat, si Ordinem Tertium volumus consistere incolumem, nihil videtur opportunius quam ut *sodalitates eiusmodi non modo apud Primi Ordinis coenobia, sed apud alia etiam templa, parochialia praesertim, constituantur, earum moderatione, de Episcoporum consilio, curionibus ipsis commissa,* nisi aliud locorum ratio suadeat, salvo semper iure et officio Praelatorum Ordinis Primi; quod profecto Tertii Ordinis naturae non adversatur, quin immo eidem aptum omnino est et consentaneum. Eo ipso enim validiori auxilio curionibus in procuranda hominum salute sodales fore, nemo non videt.

Itaque ex his quae dicta sunt, perspicuum arbitramur, Tertii Ordinis institutum in hoc consistere ut sodales evangelicae perfectionis praecepta in cotidianum usum ipsi deducant, et christianae vitae exemplar ceteris ad imitandum proponant. — Consequens est, ut *Tertiariorum sodalicia, qua talia, se civilibus aut mere oeconomicis rationibus immiscere omnino non debeant; si faciant, rem ab instituto suo quam maxime alienam et voluntati Nostrae contrariam se facere sciant.* Verumtamen Tertiarii de re christiana merebuntur optime, si singuli, dato catholicis societatibus nomine, persequi id quod quaeque sibi habet peculiare propositum, contendant; nec vero prohibentur quin in actione etiam sociali, qualis huic Apostolicae Sedi probatur, elaborent: at *cavendum, ne Ordo ipse Tertius in earum societatum regiones invadat, neve finem earumdem proprium, faciat suum. Si quis autem e Tertiariis, cum pietatis tum beneficentiae causa, aliam quamlibet condat novam societatem, hanc volumus Episcopo plene subesse, et ab eo gubernari quem Episcopus probaverit, etiamsi Ordinis Tertii praesides aliquo pacto condendae societatis auctores fuerint.*

Ad sodaliciorum conventus quod spectat, certos iis constituere fines oportet, quos, dilecti Filii, praeterire quemquam ne patiamini. Itaque haec capita sancte custodiantur:

I. Religiosi dumtaxat ex Ordine Primo coetus seu conventus sodalium Ordinis Tertii cogant iisdemque praesideant; si sodales a *districtu* coëant, coenobii custos seu *Guardianus;* si e provincia, Provincialis Minister; si e pluribus provinciis, Ordinis Minister Generalis. Qui iure praesint, eorum est de rebus in disputationem deducendis libellos

conficere, diribere; nemini autem de aliqua re dicendi ius esto, nisi rogationem praesidi ante subiecerit, ab eoque copiam fandi impetraverit.

II. Disceptare cuivis ne liceat, nisi de iis quae Ordinis Tertii naturae, proposito legibusque ac datis per Romanos Pontifices de hac eadem re praescriptionibus congruant; *quaestiones vero de re mere oeconomica et sociali in posterum submoveantur.*

III. Cum Franciscalis Ordo id habeat *veluti proprium ac singulare ut Iesu Christi Vicario arctissime adhaereat, Tertiarii suae in Romanum Pontificem* ac secundo in Ordinis Generales Ministros *studiosae observantiae significationem, coetum incuntes, solemniter edere ne omittant.*

IV. Coetuum seu conventuum Acta, nisi de Ministri Generalis Ordinis consensu, ne vulgentur. *Sicubi vero tres Franciscalis Ordinis Ministri Generales conventui intersint, huic simul praesideant, quippe sunt dignitate et potestate pares; Actaque ne edantur, ante quam communis eorumdem adprobatio accesserit.*

Haec, pro benevolentia qua Ordinem Tertium complectimur, ediximus; futurum vero confidimus, ut Tertiarii omnes, quotquot curae vestrae sunt per orbem catholicum commissi, Seraphici Patris vestigia persequi summopere nitantur. Quod ut secundum vota succedat, vobis, dilecti Filii, et Franciscalium Ordini universo Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die VIII mensis septembris, in festo Mariae Sanctissimae nascentis, anno MCMXII, Pontificatus Nostri decimo.

PIUS PP. X.

PARS PRIMA

DE LEGIBUS TERTII ORDINIS SAECULARIS S. FRANCISCI ASSISIENSIS

TITULUS PRIMUS.

Regula Tertii Ordinis Saecularis per Constitutionem « Misericors Dei Filius » a Leone Pp. XIII die 30 maii 1883 promulgata.

Caput I.

De cooptatione, tirocinio, professione.

§ I. Ne quos cooptari liceat, nisi maiores quatuordecim annorum, eosque bene moratos, retinentes concordiae, atque in primis sanctitate professionis catholicae probatos, spectatoque erga Ecclesiam Romanam Sedemque Apostolicam obsequio.

§ II. Nuptae, nisi sciente et consentiente viro, ne cooptentur, extra quam si secus videatur faciendum, auctore sacerdote conscientiae ipsarum iudice.

§ III. Adlecti in sodalitatem *scapulare* parvum unaque cingulum de more gerant: ni gesserint, statis privilegiis iuribusque careant.

§ IV. Qui quaeve Tertium Ordinem inierint, unum ipsum annum tirocinio exigant: mox, Ordinem rite professi, servaturos esse iura Dei, obedientes Ecclesiae dicto futuros; si quid in iis, quae professi sunt, deliquerint, satis facturos singuli spondeant.

Caput II.

De disciplina vivendi.

§ I. Sodales Tertii Ordinis in omni cultu habituque, sumptuosiore elegantia posthabita, teneant eam, quae singulos deceat, mediocritatis regulam.

§ II. Choreis ludisve scenicis procacioribus, item comessationibus perquam caute abstineant.

§ III. Pastu atque potu utantur frugaliter: neve ante vel accumbant vel assurgant de mensa, quam invocato pie grateque Deo.

§ IV. Ieiunium Mariae Virgini Immaculatae, item Francisco Patri, pridie sacra solemnia, singuli servanto: admodum laudabiles, si qui praeterea vel ieiunium in sextas, vel abstinentiam carnium in quartas quasque ferias servarint, disciplina veteri Tertiariorum.

§ V. Admissa rite expianto per menses singulos; item ad divinum epulum accedant per menses singulos.

§ VI. Tertiarios ex ordine Clericorum, quod Psalmis quotidie dant operam, nihil praeterea hoc nomine debere placet. Laici, qui nec canonicas, neu Mariales preces, vulgo *Officium parvum B. V. M.*, persolvunt, precationem Dominicam cum Salutatione Angelica et *Gloria Patri* adhibeant duodecies in dies singulos, excepto si per valetudinem non liceat.

§ VII. Quibus est testamenti factio, ii suo quisque tempore de re sua testentur.

§ VIII. In familiari vita studeant ceteros exemplo antecedere: pietatis artes, resque optimas provehere. Libros vel diaria, unde pernicies virtuti

metuatur, domum suam inferri, ab iisque, qui in ipsorum potestate sint, legi ne sinant.

§ IX. Charitatem benevolam et inter se et ad alienos sedulo tueantur. Componendas, sicubi possunt, discordias curent.

§ X. Iusiurandum ne iurent unquam, nisi necessario. Turpia dictu, scurriles iocos fando fugiant. Excutiant sese vesperi, num tale quidquam temere fecerint: si fecerint, errorem poenitendo corrigant.

§ XI. Rei divinae, qui commode possunt, quotidie intersint. Ad coetus menstruos, quos Praefectus indixerit, conveniant.

§ XII. Conferant in commune pro facultate quisque sua nonnihil, unde vel tenuiores e sodalium numero, praesertim affecta valetudine, subleventur, vel divini cultus dignitati consulatur.

§ XIII. Ad sodalem aegrotantem Praefecti vel adeant ipsi, vel mittant, qui charitatis officia expleat. Iidem, in morbo ancipiti, moneant, suadeant, ut quae ad expiandum animum pertinent, aegrotus tempestive curet.

§ XIV. Ad exequias sodalis demortui sodales municipes hospitesve conveniant, simulque Mariales preces instituto Dominici Patris, id est *Rosarium,* tertiam partem ad coeleste demortui solatium adhibeant. Item sacerdotes inter rem divinam, laici, si poterunt, sumpta Eucharistia, pacem fratri defuncto sempiternam pii volentes adprecentur.

Caput III.

De officiis, de visitatione, deque ipsa lege.

§ I. Officia, advocatis ad conventum sodalibus, deferantur. Eadem triennalia sunto. Oblata ne qui sine caussa iusta recuset, seu oscitanter gerat.

§ II. Curator, qui *Visitator* audit, diligenter quaerat, satisne salvae leges. Eius rei ergo, sodalitiorum sedes in singulos annos, eoque crebrius, si res postulaverit, pro potestate circumeat, coetumque habeat. Praefectis sodalibusque universis adesse iussis. Si quem *Visitator* ad officium monendo iubendo revocarit, sive quid, salutaris poenae nomine, in quenquam decreverit, hic modeste accipiat, idemque luere ne abnuat.

§ III. *Visitatores* ex Primo Franciscalium Ordine, vel ex Ordine Tertio Regulari legantur, quos Custodes seu *Guardiani,* si id rogati fuerint, designabunt. *Visitatoris* munere laicis viris interdictum esto.

§ IV. Sodales nec obedientes et noxii iterum et tertium admoneantur officii sui: ni pareant, excedere Ordine iubeantur.

§ V. In his legibus si qui forte quid deliquerint, hoc se nomine culpam suscepturos nullam sciant, exceptis iis quae iure divino Ecclesiaeve legibus alioqui praecipiuntur.

§ VI. Si quae huius capita legis quemquam servare caussa gravis et iusta prohibeat, eum ex ea parte lege solvi, eademve capita commutari prudenter liceat. Cuius rei Praefectis ordinariis Franciscalium et Primi Ordinis et Tertii, item *Visitatoribus* supra dictis facultas potestasque sit.

TITULUS SECUNDUS.

Explanatio in Caput Primum Regulae Tertii Ordinis saecularis.

Plurima prodierunt Sanctae Sedis Decreta aut Responsa pro Tertii Ordinis Franciscalis iure declarando aut Sodalium regimine statuendo. Quae operae pretium est hic ordinatim, *Regulae* scilicet, pro Tertiariis a Leone Pp. XIII promulgatae, *ordine servato,* proferre; additis opportune probatorum Auctorum sententiis. Ante omnia perpendenda sunt ea, quae primum caput Regulae explanant.

Art. I.

De aggregatione ad Tertium Ordinem.

(In Cap. I Regulae, § I et II).

1. Illi utriusque sexus, qui sunt membra alicuius religiosi Instituti vel Congregationis, aut a Summo Pontifice aut ab Episcopo approbatae, in qua vota emittuntur sive perpetua sive ad tempus, nequeunt adscribi in Tertium Ordinem S. Francisci Assisiensis. *(S. C. Indulg. 16 Iul. 1887).*

2. Religiosi, qui sua iam vota nuncupaverunt in proprio Instituto approbato vel ab Apostolica Sede, vel ab Ordinario loci, ante Decretum praefatum diei 16 Iul. 1887, et iam Tertio Ordini S. Francisci adscripti reperiebantur, post praefatum Decretum non pertinent amplius ad eumdem Tertium Ordinem, eiusque gratiis et privilegiis non gaudent *(S. C. Indulg. 31 Ian. 1893 ad IV).*

3. Saeculares Tertiarii Franciscales ingredientes religiosum aliquod Institutum, non tenentur

nisi post religiosam professionem dimittere habi tum Tertii Ordinis, ideoque ante religiosam pro fessionem perfruuntur gratiis et privilegiis prae fati Tertii Ordinis *(S. C. Indulg. 31 Ian. 189 ad V)*.

4. Decretum citatum diei 16 Iul. 1887 vim legi habet etiam pro Tertiariis ceterorum Ordinum puta Ordinis S. Dominici, Sanctissimae Trinitati etc. *(S. C. Indulg. 31 Ian. 1893 ad VI)*.

5. Religiosi votorum simplicium, qui ante in gressum in Religionem ad habitum Tertii Ordini saecularis admissi fuerant, ad saeculum per solu tionem a votis rite redeuntes, nova non indigen receptione, ut Tertiarii haberi possint et sint *(S. C Indulg. 8 Aug. 1906)*.

6. Fideles, qui inter Tertiarios unius Ordini fuerint cooptati, cooptari non valent etiam inte Tertiarios alterius Ordinis, puta S. Dominici, ve Sanctissimae Trinitatis etc., ita ut aliquis Christi fidelis evadere simul non possit Tertiarius Fran ciscalis, S. Dominici, Sanctissimae Trinitatis, Or dinis Carmelitici, et ita porro *(S. C. Indulg. 3 Ian. 1893 ad IX)*. Hoc Decretum habet vim retro activam, et Christifideles qui ante idem Decretum pluribus Tertiis Ordinibus adscripti reperieban tur, gaudent libertate eligendi unum prae alter ex Tertiis Ordinibus quibus iam sese mancipave rant, et electio facienda est iuxta cuiusvis Christi fidelis devotionem *(S. C. Indulg. 21 Iun. 1893)*.

7. De speciali gratia Christifideles, Bononiae tantum degentes, cooptari valent in Tertium Or dinem saecularem S. Dominici, quamvis iam alter Tertio Ordini fuerint adscripti *(S. C. Indulg. Aug. 1899)*.

8. Valida est vestitio et professio eius, qui

Sacerdote habente facultatem seiunctim ad Tertium Ordinem saecularem S. Francisci admittitur, quin alicui Congregationi adscribatur *(S. C. Indulg. 14 Iul. 1891).*

9. Tertiarii participes sunt fructuum omnium operum bonorum, Missarum, orationum, poenitentiarum quae in Ordine Franciscali fiunt *(Pius Pp. X 17 Maii 1909) (Vide infra Tit. IV, Art. VI).*

Art. II.

De habitu Tertii Ordinis.

(In Cap. I Regulae, § III).

1. S. P. Franciscus in Cap. III Regulae, a Nicolao Pp. IV die 18 Aug. 1289 approbatae, Tertiariis habitum modestum constituit, coloris *cinericii,* et cingulum nodosum. (*Moccheggiani,* Collectio Indulgentiarum, nn. 1505 et 1520). En verba Regulae Cap. III « Fratres ... de humili panno in « pretio et colore, non prorsus albo, vel nigro ... « vestiantur ... Sorores ... chlamide ... et tunica de « huiusmodi humili panno etc. » (*Wadding,* Annales Minorum, a. 1221 n. XVI). Iulius II Pont. Max. (1503-1513) statuit, ut Tertiarii habeant habitum talem, quo distinguantur a Fratribus Primi Ordinis. « In forma autem, quod ad minus habeant « caparonem latum, ut desuper scapulas descendat « ab utraque parte per quatuor digitos. In longi- « tudine vero, tam a parte anteriori quam poste- « riori attingat infra cingulum, ut super illud « possit cingi. Color quoque sit magis ad nigredi- « nem tendens, quam ad albedinem » (*Moccheggiani,* Collectio etc. n. 1521).

2. Ad abusus praecavendos, Ecclesia prohibet

ne integro habitu Ordinis habitualiter et publice Tertiarii utantur. At licitum est praefato integro habitu uti in coetibus Congregationum, in Processionibus, funeribus et ecclesiasticis caeremoniis, quando Tertiarii non ut singuli, sed coetum efformantes assistunt: item quando Tertiarii in Conventibus Primi Ordinis habitualiter vivunt, vel quando Missae sacrificio in Ordinis Franciscalis Ecclesiis aut in Sacello Sodalitii inserviunt, aut si in Instituto, quod ab Ordine Franciscali regatur, vivant puta in schola apostolica praeparatoria ad clericatum Ordinis; ac tandem licitum est corpora Confratrum et Sororum Tertii Ordinis defunctorum eodem integro habitu vestiri.

3. Pro Tertiariis saecularibus, ut statis privilegiis et iuribus ipsi gaudeant, sufficit induere scapulare eiusdem formae et amplitudinis ac sunt caetera scapularia piarum Confraternitatum *(S. C. Indulg. 30 Apr. 1885)*. Sed die 10 Iun. 1886 eadem S. Congr. ad dub. 2 respondit quoad dimensionem Scapularis Tertii Ordinis Franciscalis servandam esse consuetudinem vigentem penes Tertiarios S. Francisci Assisiensis.

4. Scapularia ex lana contexta (tissee, tessuta) non vero subcoacta (feutre, feltro) Christifidelibus imponi debent, alioquin ipsi amittunt Indulgentias gestantibus scapularia concessas *(S. C. Indulg. 6 Maii 1895)*. Et vox pannus, panniculus, ab auctoribus usurpata, sumi debet in sensu stricto, id est de sola lanea textura proprie dicta (tesssuto) et nequit intelligi etiam de lanea textura reticulata (lavoro di maglia, tricotage), nec de quocumque laneo opere acu picto (ricamo, broderie), licet adhibeatur color praescriptus *(S. C. Indulg. 17 Aug. 1868 ad 2)*.

5. Non est licitum Tertiariis, loco scapularis deferre numisma ex metallo, licet id permissum sit fidelibus adscriptis alicui Confraternitati *(S. C. S. Off. 16 Dec. 1910)*.

6. Quoad scapularis colorem, in Regula, a Leone XIII approbata, nihil aliud statuitur, nisi ut mos servetur; hinc color scapularis sit cinericius, niger aut fuscus, iuxta respectivae Congregationis morem.

7. Scapulare potest esse sine ulla imagine sacra; congruum tamen est ut benedictio a S. P. Francisco Fratri Leoni impertita apponatur.

8. Cingulum sit ex lana, lino aut cannabe, dummodo sit ad modum funiculi confectum; non sufficit enim merum filum. Solent tres aut quinque nodi in cingulo confici.

9. Scapulare ita geratur, ut una pars ab humeris, alia ad pectus pendeat; cingulo corpus de more cingitur, nec est necesse ut scapulare a cingulo ad corpus firmetur. Si scapulare et cingulum Tertiarii non deferant, privilegiis et iuribus Tertii Ordinis carent, ut in Regula clare enunciatur. Id tamen intelligendum est ita ut qui *ex negligentia* scapulare et cingulum deferre omittunt, *tempore omissionis* privilegiis et Indulgentiis Tertii Ordinis perfrui nequeant, licet maneant Tertiarii. Hanc autem poenam non incurreret, qui ex iusta et gravi causa id faceret aut a Directore legitime dispensatus fuerit. Quando *per longius temporis spatium* scapulare et cingulum deponendi sunt, licentia a Directore, si possibile sit, exquiratur. Iusta autem causa ad habitum deponendum poterit esse infirmitas, difficultas aliter quaedam opera exequendi, quaedam motiva prudentiae, et similia; sed forma actualis habitus talis est, ut difficile sit *vere* gra-

vem causam ad illud deponendum habere; quapropter consultum est ne deponatur, quin antea licentia Directoris exquiratur: hac enim ratione consuletur, ne sine gravi causa scapulare et cingulum deponantur.

10. Scapulare et cingulum prima vice, quum nempe quis Tertio Ordini aggregatur, benedicenda sunt a Directore vel a Delegato. Cetera scapularia et cingula, quae deinceps Tertiarius recipit, non sunt necessario benedicenda, cum prior benedictio virtualiter perseveret.

11. Si Tertiarius saecularis etiam alicui *Confraternitati* (vetatur enim adscriptio pluribus Tertiis Ordinibus) cooptatus sit, utrumque scapulare ad Indulgentias lucrandas deferat oportet; nempe scapulare Tertii Ordinis et scapulare Confraternitatis *(S. C. Indulg. 10 Iun. 1886)*.

12. Tertiariis licitum est adscribi Archiconfraternitati Chordigerorum; et in casu sufficit ut unicum cingulum, *sub duplici titulo*, Tertii Ordinis et Chordigerorum, *benedictum*, ab adscriptis deferatur. Adscriptio ad Archiconfraternitatem Chordigerorum est propria Ordinis Fratrum Minorum Conventualium *(Vid. Rituale Romanum)*, a cuius Ordinis Ministro Generali delegatio obtineri potest. *(P. Eugenius D'Oisy,* Ord. Fr. Min. Capp., Directorium spirituale Tertii Ord.).

Art. III.

De Novitiatu in Tertio Ordine.
(In Cap. I Regulae, § IV).

1. Superiores regulares Franciscales dispensare non possunt Sacerdotes, ad habitum Tertii Ordinis admissos (exceptis iis qui in periculo mortis sunt

constituti), super praescripto Novitiatu sive in toto sive in parte *(S. C. Indulg. 30 Ian. 1896)*. Si neque Sacerdotes novitii dispensari possunt, a fortiori id dicendum est de aliis novitiis non sacerdotibus.

2. Novitius in mortis periculo constitutus, professionem emittere potest, etiam coram Confessario quocumque, si Sacerdos facultate praeditus non possit commode vocari (in quo casu quemlibet Confessarium delegatum esse Ministri Generales declaraverunt); sed eiusmodi praematura professio non erit ante mortem in Registro scribenda : quum, aegroto sanitatem recuperante, *completo anno integro novitiatus*, professio rursus emittenda sit, et tunc in Registro scribenda *(Caerem. Tert. Ord. a SS. Rit. Congr. 18 Iun. 1883 approb.)*.

3. Novitii tempore novitiatus Regulam Tertii Ordinis practice apprehendant, ut sciant qualiter mores suos componere debeant. Superiores autem novitios in Tertii Ordinis disciplina et in piis operibus Congregationis cui adscripti sunt exerceant *(Vide infra Tit. IV, Artic. V, VI et XII)*.

4. Non interrumpitur novitiatus Tertii Ordinis saecularis S. Francisci, si quis habitum, id est scapulare cum cingulo absque dispensatione deposuerit ex oblivione vel impossibilitate; sed neque interrumpitur si deposuerit ex negligentia, dummodo voluntas emittendi professionem in praefato Ordine non fuerit retractata *(S. Congr. Indulg. 4 Mart. 1903)*. Sed novitiatus interrumpitur, si novitius habitum deposuerit cum intentione expressa non amplius pertinendi ad Tertium Ordinem; item si quis recusaret interesse mensilibus Conferentiis, declarando expresse se nolle amplius Tertio Ordini esse adscriptus. Hisce in casibus, si resipuerit, no-

vitiatus iterum incipiendus est, sed non est necesse ut denuo ad habitum admittatur, sufficit ut novitius scapulare et cingulum privatim resumat. Similiter qui ad novitiatum admissi, professionem in indefinitum differunt, amittunt privilegia Tertii Ordinis, si dilatio in indefinitum aequivalet desertioni Tertii Ordinis; et post istam aequivalentem desertionem Ordinis professio esset invalida, si annus novitiatus non repeteretur (*P. Eugenius D'Oisy,* Ord. Fr. Min. Capp., Directorium spirituale Tertii Ordinis).

Art. IV.

De Professione in Tertio Ordine.
(In Cap. I Regulae, § IV).

1. Die Professionis Novitius habitu integro Ordinis indutus sit, si fieri potest, alioquin exterius scapulare et chordam gerat *(Caerem. Tertii Ordinis).*

2. Professio Tertii Ordinis saecularis non est emissio votorum, sed simplex promissio, nullam specialem obligationem sub poena peccati includens; Tertiarii enim ad servanda praecepta Dei et mandata Ecclesiae sicut et coeteri fideles tenentur: et Tertii Ordinis Regula praefatam observantiam ipsis faciliorem et magis perfectam reddit, ita ut magis coram Deo mereantur: quum *etiam ex merito sanctae obedientiae* ad christianam perfectionem tendant. Regula tamen obligat ad poenam: « Si quid in iis, quae professi sunt, deliquerint, satis facturos singuli spondeant » *(Regula Cap. I, § IV).*

3. *Novitii* Tertiarii saeculares S. Francisci professionem emittere valent in Congregatione alte-

rius obedientiae, seu diversae ab illa, in qua ad novitiatum fuerant admissi, si ita melius eorum commoditati providebitur. *Professi* eadem de causa transire possunt de una Congregatione ad aliam diversae obedientiae *(S. C. Indulg. 31 Ian. 1893 ad 7 et 4 Mart. 1903 ad 1 et 2)*. Antequam id fiat, *conveni*t ut consensus Directoris illius Congregationis a qua discceditur exquiratur; attamen talis consensus non est necessarius.

4. Tertiarius Franciscalis generatim nequit transire ad alium Tertium Ordinem alterius Regulae, ex. gr. ad illum S. Dominici, etc. et vicissim *(S. C. Indulg. 31 Ian. 1893 ad VIII)*.

5. Maxime commendandum est ut Tertiarii vel in anniversario suae professionis, vel in festo Omnium Sanctorum Seraphici Ordinis (29 Novembr.) professionem renovent; id autem sedulo fiat die 16 Aprilis, anniversario professionis S. P. Francisci, vel in casu legitimi impedimenti, Dominica proxime sequenti, ad Indulgentiam Plenariam lucrandam ut Parte II, Tit. I, Cap. I, n. I, 4 enunciatur.

TITULUS TERTIUS.

Explanatio in Caput Secundum Regulae Tertii Ordinis saecularis.

Art. I.

De Divino Officio.

(In Cap. II Regulae, § VI).

Sacerdoti Tertiario, etiam curam animarum habenti, nulli tamen Choro adscripto, Officium Divinum iuxta Breviarium Franciscanum recitare licet, exceptis obligationibus particularibus, quae

ei incumbere possint ratione occurrentiae Patroni, vel Titularis aut Dedicationis Ecclesiae *(Leo XIII 7 Iun. 1883).*

Art. II.

De Coetu et Conferentia mensili.
(In Cap. II Regulae, § XI).

1. Coetus seu conventus mensilis est velut vita Tertii Ordinis; per eum enim Tertiarii spiritum seraphicum hauriunt, moribus reformantur et in via perfectionis procedunt. In coetibus menstruis Tertiarii inter se vinculo charitatis vinciuntur, et experiuntur *quam bonum et quam iucundum* sit *habitare fratres in unum;* unam enim velut familiam efformantes, cor unum et anima una fiunt, et fide, spe, et caritate iuncti, orant pro fratribus vivis et defunctis, monita salutis accipiunt, in obligationibus et spiritu Regulae edocentur; et Sacramentis expiati, a poenis, quas pro peccatis promeriti fuerant, per Indulgentiam Plenariam laxantur *(Vide infra Tit. IV, Art. V et XVI).*

2. Ut ordinate et maiori cum fructu coetus praefati fiant, sequens methodus proponitur:

Preces pro initio Congregationis, in Caeremoniali Tertii Ordinis *(Art. I)* assignatae, fundantur.

Conferentia seu Instructio fiat de uno vel alio Regulae praescripto, vel de vita iuxta leges Dei et Ecclesiae ducenda, propositis opportune exemplis Sanctorum vel Sanctarum Tertii Ordinis.

Monita generalia vel specialia, prout opportunum videbitur, prudenter et caritative dentur; et ea quae Tertiariis scitu interest, nuntientur.

Festa aut dies, quibus Indulgentiae, praesertim Plenariae, lucrari a Tertiariis valent, publicentur;

et conditiones, quae ad eas lucrandas appositae sunt, explanentur.

Collecta pro cultu divino et pro confratribus ac sororibus indigentibus et infirmis fiat, prout Cap. II Regulae § XII innuitur.

Defunctorum fratrum aut sororum nomina publicentur, et preces pro iisdem, Cap. II Regulae § XIV praescriptae, in memoriam revocentur; imo optimum est si in ipso coetu menstruo tertia pars Rosarii B. M. V. (iuxta Regulam) pro iisdem Defunctis recitetur; nisi in exequiis seu in associatione cadaveris in communi recitata fuerit.

Absolutio Generalis vel Benedictio Papalis, si ea die incidant, impertiatur.

Tandem preces pro fine Congregationis, in Caeremoniali Tertii Ordinis *(Art. I.)* assignatae, fundantur.

Congruum esset si Benedictio cum Sacra Pyxide Tertiariis ante discessum impertiretur.

3. In nonnullis, praesertim ruralibus, paroeciis non raro accidit, quod Tertiarii singulis mensibus coadunentur absque Sacerdote Directore, aliis ministerii pastoralis laboribus impedito, atque orationes de more faciendas recitent, et loco habendae conferentiae spiritualem audiant lectionem. Quaeritur *an Tertiarii ita coadunati lucrari valeant Indulgentiam plenariam mensili conferentiae assistentibus concessam?* S. C. Indulg. die 30 Ian. 1896 respondit: Affirmative, si legitime convenerint, de auctoritate videlicet Directoris.

Art. III.

De Tertiariis aegrotantibus.
(In Cap. II Regulae, § XIII).

1. Tertiariis in mortis articulo constitutis Pater Director vel Confessarius quicumque approbatus, a Tertiario vocatus, ad Indulgentiam Plenariam impertiendam, formulam adhibebit a Benedicto XIV et rursus a Leone XIII praescriptam, quaeque in Caeremoniali Tertii Ordinis *(Art. X)* apponitur; adhibita etiam formula breviori, si mors proxime urgeat, prout in eodem Caeremoniali indicatur *(Vide infra Tit. IV, Art. VII et XIII et Parte II, Tit. VI, Art. VI).*

2. Regulares nequeunt administrare Sacramenta Tertiariis in articulo mortis, licet sint aggregati eorum Religioni, excepto Sacramento Poenitentiae; reliqua Sacramenta pertinent ad Parochum *(SS. Rit. Congr. n. 271 ad 1).*

Art. IV.

De funere et exequiis Tertiariorum.
(In Cap. II Regulae, § XIV).

1. Regulares possunt in eorum Ecclesiis sepelire, absque Parochi interventu, viros Tertiarios, suae Religioni aggregatos, collegialiter viventes aut cum claustralibus habitantes, nec non mulieres virginalem, vel caelibem, aut castam vidualem, expresso voto et sub dicto habitu vitam ducentes. Quod si Tertiarii vel Tertiariae his carent qualitatibus, non sunt sepeliendi in Ecclesia Regula-

rium, *nisi ipsi dum vixerint in ea elegerint sepulturam,* et tunc Parochus etiam est adhibendus *(SS. Rit. Congr. n. 271 ad 3).*

2. Per publica Coemeteria non sunt sublata Ecclesiarum iura, sed tantum mutatus est locus materialis sepulturae, nempe locus in quo Ecclesiae iure suo utuntur; ita ut quo iure antea fruebantur in propriis sepulchris, eodem postea uterentur in Coemeteriis publicis. Regularibus autem nedum sarta tectaque manserunt iura quoad Defunctos, *qui penes ipsos sepulturam elegerint,* sed insuper ius *exclusive* competit eorumdem cadavera associandi a propriis Ecclesiis ad commune Coemeterium caeteraque omnia inibi peragendi, quae in cadaveris humatione fiunt; idque etsi ipsi in Coemeterio proprium non habeant sepulchrum.

In iure autem circa funera sequentia habentur:

De iure communi ad Parochum pertinet ius associandi, funerandi et tumulandi proprios parochianos, *quoties Defunctus in alia Ecclesia sepulturam non eligat, vel sepulturam maiorum non habeat.*

In hoc casu, delectae scilicet sepulturae, vel existentis maiorum in alia a Parochiali Ecclesia, funerum iura inter Defuncti Parochum et Ecclesiam tumulantem sic ab ecclesiasticis Ordinationibus et Decretis determinata habentur: *a*) Parochi est stolam deferre, cadaver e domo levare et funus ducere usque ad ianuam Ecclesiae tumulantis, sive haec sit saecularis, sive regularis. *b*) Regularibus, in quorum Ecclesia Defunctus tumulandus est, ius competit una cum Parocho ab Ecclesia Parochiali ad domum Defuncti accedere, et, cadavere per Parochum levato, ad propriam Ecclesiam tumulantem associare; si tamen velint, possunt ad propriae Ec-

clesiae ianuam expectare, quin ad funeris associationem accedant. *c*) Pariter ad Regulares spectat facere Officium circa corpus Defuncti postquam intus eorum Ecclesiam fuerit delatum, illudque tumulare. *d*) Demum quod ad Crucem pertinet, *unica Crux in funeribus deferenda est, non obstante consuetudine etiam immemorabili, Crux nempe Ecclesiae tumulantis (SS. Rit. Congr. 23 Apr. 1895);* ideoque si Defunctus in Ecclesia regulari tumulandus sit et Regulares una cum Paroco funus associent, unica Crux conventualis deferenda est, sub qua et ipse Parochus incedere tenetur; nisi tamen Capitulum Ecclesiae Cathedralis (vel Collegiatae, si adsit consuetudo) adfuerit, cui privative spectat Crucem levare *(S. Congr. Episc. et Regul. 1 Aug. 1902).*

Religiosi quandocumque a propria Ecclesia ad Coemeterium cadavera cum stola et propria Cruce conventuali associant, sine pompa et recto tramite incedere debent *(S. Congr. Episc. et Regul. 17 Sept. 1880).*

Si Defunctus ex civili vetito non ad Ecclesiam sepelientem, sed recto a domo ad Coemeterium defertur, ianua Coemeterii pro ianua Ecclesiae sepelientis habetur; et Regularibus Ecclesiae tumulantis, ius competit iusta funebria in propria Ecclesia persolvendi *(S. Congr. Episc. et Regul. 1 Aug. 1902).*

Si Parochus vocatus renuat intervenire vel alium mittere ad ducendum cadaver ad Ecclesiam Regularium sepelientem, Regularibus licet absque Parocho deferre cadavera in eorum Ecclesiis sepelienda; emolumentum tamen spectans ad Parochum, eidem dandum nihilominus est *(SS. Rit. Congr. nn. 1539 ad 5 et 1604 ad 1).*

Regulares non possunt impedire Parochum, ne pulset campanas parochiales in casu, quo Defunctus tumuletur in Ecclesia Regularium; neque ipsi Regulares Ecclesiae in qua Defunctus sepelitur, impediri a Parocho, ne pulsent campanas eiusdem Ecclesiae *(SS. Rit. Congr. n. 785)*.

Cum cadaver ad Ecclesiam Regularium, uti ad tumulantem defertur, Capitulum Cathedrale cum Cruce elevata Ecclesiam ingredi potest, et ibi cum Cruce erecta usque ad humationem assistere (non tamen canere, aut Officium super cadaver persolvere); in Absolutione tamen Crux Ecclesiae tumulantis solummodo adhibetur *(SS. Rit. Congr. nn. 1957 ad 1 et 2 et 2296 ad 6)*. Si Capitulum Ecclesiae Collegiatae ad funus vocatum fuerit, Crux eiusdem Capituli (dummodo adsit consuetudo ut Capitulum Ecclesiae Collegiatae Crucem elevet, quando Ecclesia tumulans est diversa ab Ecclesia Collegiata, *SS. Rit. Congr. 23 Apr. 1895)* usque ad Ecclesiae tumulantis ianuam deferri permittitur *(SS. Rit. Congr. nn. 727, 1035 et 1063)*.

Quarta funeraria dicitur portio canonica, seu certa aliqua oblatio a iure canonico inducta, ad quam parochus ius habet, quando aliquis parochianus defunctus extra parochiam sepelitur, eique solvi debet de iis omnibus quae occasione funeris obveniunt Ecclesiae tumulanti *(Ojetti,* Synopsis rerum moralium et iuris pontificii, ad verbum: *Quarta funeraria)*.

Si inducatur consuetudo ut Cadavera in Ecclesia Regularium tumulanda, ad illam noctis tempore deferantur et successive tumulentur, diebus vero sequentibus, post sepulturam, Officium et Missa canantur; etiam de his secundis funebribus

quarta funeralium Parocho debetur *(SS. Rit. Congr. n. 1400).*

Si funus in Ecclesia Parochiali ex dispositione testatoris fiat, et in alia Ecclesia cadaver solummodo sepelitur, quarta funeraria Ecclesiae sepelienti debetur *(SS. Rit. Congr. n. 2881).*

Parochus non habet ius percipiendi emolumenta, quae ab haeredibus dantur Sacerdoti Regulari qui a propria Ecclesia tumulante cadaver ad Coemeterium comitatur *(Caerem. Ord. Fr. Min. Conv. a SS. Rit. Congr. approb. an. 1904* pag. 720).

Quarta funeraria non est praecise quarta pars de iis quae occasione funeris obveniunt Ecclesiae tumulanti, sed ea pars, quam Episcopus determinaverit vel iuxta consuetudinem locorum statuta sit *(Ojetti,* Synopsis etc., verbum: *Quarta funeraria).*

Licitum est in aliena Ecclesia et apud Regulares cantare Missam de Requie (servatis tamen Rubricarum regulis), quam fideles celebrare petunt pro propinquis vel amicis defunctis, postquam funeralia in Ecclesia parochiali persoluta fuerunt, etiamsi Missa exequialis in Ecclesia parochiali non celebretur *(SS. Rit. Congr. n. 3494 ad 1).*

Parvulorum corpora, vel ubi adest sepulchrum maiorum, vel ubi parentes sepulturam elegerunt, seu ad parentum beneplacitum, tumulanda sunt. Iura Ecclesiae tumulantis eadem ac pro funere adultorum vigent *(SS. Rit. Congr. nn. 383 et 717).*

Sodales Tertii Ordinis saecularis S. Francisci possunt egredi cum proprio vexillo, id est cruce brachiis cancellatis et habitu Tertii Ordinis, ad associanda cadavera confratrum (dummodo Societas Tertii Ordinis vocata fuerit ex dispositione de-

functi, vel ab eius haerede, associationem ducente Parocho), e domo defuncti ad Ecclesiam regularem, vel ad Coemeterium, quatenus in Ecclesia regulari defunctus deponi non debeat *(S. Congr. Episc. et Regul. anno 1893 in una Manfredonien.)*.

3. Missae omnes quae in suffragium Sodalium defunctorum celebrantur, sunt semper et ubique privilegiatae *(Summ. Indulg. Cap. IV, n. 2)*.

TITULUS QUARTUS.

Explanatio in Caput Tertium Regulae Tertii Ordinis saecularis.

Art. I.

De erectione Congregationum Tertii Ordinis.

(In Cap. III Regulae, n. I).

1. Tertii Ordinis sodales sub competenti regimine adunati efficiunt Congregationem seu Sodalitatem aut Sodalitium. Suprema directio Congregationum spectat *ad Superiores Primi et Tertii Ordinis Regularis,* qui *iure ordinario* easdem Congregationes erigere *(Caerem. Art. VII)* et visitare, ac postulantes ad habitum et professionem admittere possunt *intra limites suae iurisdictionis*, nempe Pater Guardianus in proprio territorio aut regione, Pater Provincialis in sua Provincia, et Pater Generalis in toto Ordine; hinc ad erigendam *canonice* Congregationem seu Sodalitium Tertiariorum Franciscalium requiritur, praeter alia de quibus infra dicetur, *facultas obtenta* a Ministro Generali, aut Provinciali aut Guardiano unius ex tribus Familiis Ordinis Franciscalis, vel etiam Tertii Ordinis Regularis.

2. In locis ubi adsunt Conventus Franciscalium,

Congregationes seu Sodalitia Tertii Ordinis eriguntur et moderantur a Religiosis, qui a respectivis Superioribus ad tale officium, utpote idonei, deputantur. Isti *Directores* vel *Commissarii* appellantur.

3. In locis vero ubi non adsunt Conventus Franciscalium, vel Conventus sunt procul, Superiores deputare possunt sacerdotes saeculares ad erigendam et moderandam Congregationem seu Sodalitium, ipsis diploma *Directoris* tribuentes.

4. Sacerdoti v. gr. Parocho, a Superiore unius Ordinis facultate munito pro recipiendis fidelibus ad habitum et professionem Tertii Ordinis, non sufficit eadem facultas pro admittendis fidelibus ad habitum et professionem dicti Tertii Ordinis in aliquam fraternitatem quae obedientiae et directioni alterius Ordinis Franciscalis subiacet *(S. C. Indulg. 30 Ian. 1896)*. At Parochus vel quilibet Sacerdos, alicuius Congregationis Tertiariorum moderator, si alio transfertur, ubi alia Congregatio diversae obedientiae reperiatur, eamdem regere potest, quin indigeat nova adprobatione; tenetur tamen hac de re certiorem facere Visitatorem regularem, ut cum eodem negotia Congregationis gerere valeat *(S. C. Indulg. 4 Mart. 1903 ad 3)*.

5. Congregationes Tertii Ordinis S. Francisci Assisiensis ab una obedientia Primi Ordinis vel a Tertio Regulari Ordine erectae, nequeunt, inconsultis vel invitis Superioribus qui ipsas erexerunt, ad aliam obedientiam valide transire. Eaedem Congregationes ab una obedientia, ut supra, erectae, et a Fratribus alterius obedientiae in eadem Provincia vel Civitate commorantibus directae, permanent sub dependentia primae obedientiae erigentis, ita ut haec possit easdem Congregationes

visitare et ea omnia perficere quae de iure requiruntur in legitima iurisdictione; at non permanent sub dependentia primae obedientiae erigentis, si directio Congregationis Tertiariae, ab una Familia Franciscali prius erectae, legitime commissa fuerit Fratribus alterius Familiae *(S. C. Relig. 6 Dic. 1911)*.

6. Tertius Ordo saecularis S. Francisci non subiacet legi a Clemente VIII in Constitutione *Quaecumque* diei 7 Dec. 1604 statutae, qua praecipitur unam tantum Confraternitatem et Congregationem eiusdem nominis et instituti erigi posse in singulis civitatibus et oppidis *(S. C. Indulg. 31 Ian. 1893 ad I)*.

7. Nihil obstat, quominus Sodalium Tertii Ordinis saecularis S. Francisci diversae Congregationes, propter diversas Nationes Sodalium, in una eademque Ecclesia, sive in iisdem sive in diversis Ecclesiae Cappellis instituantur, simulque gaudeant indulgentiis aliisque spiritualibus gratiis et privilegiis ipsis concessis *(S. C. Indulg. 8 Mart. 1905)*.

8. Pius Pp. X per suas litteras ad Ministros Generales trium Familiarum Ordinis Minorum die 8 Septembris 1912 haec statuit: « Cum autem penes Religiosos Primi Ordinis sit Ordinis Tertii gubernatio, ii sodalitatum praesides seu Visitatores eligantur qui sint in coenobii solitudine sancte versati, et Auctorem suum ita imitentur, ut virtutibus, quibus ipse praeluxit, possint Tertiarios sodales imbuere. Verum in hac tanta acerbitate temporum cum perpetuo metuendum est ne quid Ordini priori calamitatis impendeat, si Ordinem Tertium volumus consistere incolumem, nihil videtur opportunius, quam ut *sodalitates eiusmodi*

non modo apud Primi Ordinis coenobia, sed apud alia etiam templa parochialia praesertim, constituantur, earum moderatione, de Episcoporum consilio, curionibus ipsis commissa, nisi aliud locorum ratio suadeat, *salvo semper iure et officio Praelatorum Ordinis Primi* ».

9. Ad erigendam novam Congregationem Tertii Ordinis sive in Ecclesiis Regularium sive non Regularium necessario requiritur consensus Ordinarii loci *(S. C. Indulg. 31 Ian. 1893 adII).*

Hoc Decretum non habet vim retroactivam; hinc Congregationes Tertiariorum vel Tertiariarum sive in Ecclesiis Ordinis, sive in Ecclesiis extra Ordinem usque ad diem 31 Ianuarii 1893 erectae praedicto Ordinarii consensu non indigent (*Moccheggiani,* Collectio Indulg. n. 1593).

Hic Ordinarii consensus, pro Congregationibus a die 31 Ianuarii 1893 vel deinceps erectis, requiritur ad liceitatem, non autem ad validitatem. Hinc si Congregatio aliqua sine praedicto Episcopi consensu, a die 31 Ianuarii 1893 et deinceps, sive per inadvertentiam sive per ignorantiam aut per aliam causam fuerit constituta, fideles eidem adscripti Indulgentiis gaudent, quamvis non videatur cessare obligatio expetendi praefatum consensum, nisi in casu, quo ex adiunctis prudenter iudicetur fuisse iam, saltem tacite, concessum (*Moccheggiani,* ibidem).

10. Episcopus loci visitare potest Tertiariorum Congregationes etiam in Regularium Ecclesiis exceptis iis quae ad disciplinam et directionem internam spectant *(S.C. Ind. 31 Ian. 1893 ad III).*

Episcopus *potest, si ei libuerit,* visitare Congregationes Tertiariorum etiam in Ecclesiis Regularium existentes, sive ante sive post diem 31 Ia-

nuarii 1893 institutae fuerint. At visitatio Episcopi limitanda est ad ea omnia quae concernunt administrationem bonorum *(si* aliqua Congregatio *bona propria possideat)*, manutentionem Altaris vel Cappellae sive Oratorii, si haec omnia Congregatio *in proprietate habeat,* onera Missarum et alia huiusmodi, quae ad disciplinam et directionem internam Congregationis non spectant.

Episcopi autem ius non extenditur ad ea, quae spectant interpretationem et observantiam Regulae, admissionem ad Ordinem, aut ad Novitiatum, vel ad Professionem, officia distribuenda, Absolutiones Generales et Benedictiones Papales Tertiariis impertiendas, nominationem Directorum aut Visitatorum, et cetera huiusmodi quae ad disciplinam et directionem internam Congregationis pertinent (*Moccheggiani,* Collectio etc. n. 1595).

Art. II.

De iure praecedentiae Tertiariorum congregatorum.

(In Cap. III Regulae, § 1).

1. Ad tramitem Apostolicarum Constitutionum, nec non declarationis S. C. Episc. et Regul. diei 20 Septembris 1748, Tertiariis Franciscalibus coetum constituentibus, nempe proprio habitu indutis, ac sub Cruce incedentibus, ius inest praecedentiae super quascumque laicas Sodalitates *(SS. Rit. Congr. 28 Mai. 1886, n. 3664).*

2. Tertiarii S. Francisci, necnon aliorum Ordinum, tum solummodo habent ius praecedentiae in Processionibus, cum iidem collegialiter incedunt sub propria Cruce, ac veste uniformi induti, vulgo *sacco (S. C. Episc. et Regul. 6 Apr. 1900).*

3. Cum nec Tertii Ordines nec Confraternitates aut Sodalitates *sacco* utuntur, sed, uti in Hispania, generatim utuntur tantum scapulari, cingulo, numismate, etc., iuxta cuiusquam Tertii Ordinis aut Sodalitatis diversa statuta aut praxim : ius praecedentiae competit Tertiariis super quascumque Sodalitates laicas; sed Tertiarii cuiusvis Ordinis, et Confraternitatum sodales hortandi sunt, ut vestem integram vulgo *saccum* in Processionibus, ex antiquo et laudabili Ecclesiae more, velint assumere. Etiam tunc ius praecedentiae competit Confraternitati SS. Sacramenti super alias Sodalitates in Processionibus, in quibus defertur SS. Eucharistia; reservata iugiter praecedentia fratribus cuiusvis Tertii Ordinis *(SS. Rit. Congr., 10 Nov. 1905, n. 4173)*.

4. Tertiarii Ordinum Regularium in Processionibus incedere possunt sub eadem Cruce Ordinis primarii, data praeferentia Fratribus primi Ordinis *(SS. Rit. Congr. 30 Iun. 1905, n. 4163)*.

5. Inter varias Tertii Ordinis Consodalitates ius praecedentiae desumi debet, non ab antiquitate respectivi Ordinis, sed a die qua canonice unaquaeque Consodalitas Tertii Ordinis erecta est *(SS. Rit. Congr. 1 Mart. 1894, n. 3819 ad 2)*.

Art. III.

De opportune curandis in Congregatione bene ordinata.

(In Cap. III Regulae, § I).

1. Congregationi bene ordinatae necessaria est *Ecclesia* seu *Oratorium* pro sacris functionibus celebrandis, et *locus aptus* seu *aula* pro coetibus seu conventibus Officialium Tertii Ordinis habendis

Ecclesia tamen aut Oratorium, a Directore *de consensu Ordinarii loci* eligenda sunt, quum privilegiis et Indulgentiis pro Tertiariis ditentur.

2. Quum Tertius Ordo saecularis S. Francisci sit verus et proprius Ordo, cum habitu determinato, congruum est ut Tertiarii, coetum seu Congregationem constituentes, solemnioribus occasionibus *habitum* externum et uniformem induant; eo vel magis quod habitus ad iure praecedentiae gaudendum requiratur, uti Articulo praecedenti dictum est.

3. *Praeter depositum eleemosinarum*, iuxta praescriptum Regulae Cap. II § XII, pro sodalibus infirmis aut indigentibus et pro cultus Divini decore, *aliud eleemosinarum depositum* pro Congregationis necessitatibus congrue instituatur.

4. *Duo libri* habeantur, in quorum uno nomen, agnomen, patria, dies nativitatis, vestitionis, professionis, mortis seu discessus sodalium e Congregatione adnotentur; in alio acta coetuum Officialium seu Discretorum, et memoratu digna respectivae Congregationis historiae tradantur.

5. *Crux* processionalis, *vexillum* et *sigillum* Congregationis habeantur.

6. *Bibliotheca manualis* continens historias Sanctorum vel Beatorum ad Ordinem S. Francisci pertinentium, aliosque libros pro spirituali lectione Tertiariorum maxima cura provideatur (*Dal Gal*, Il Terz'Ordine secolare etc. Parte III).

Art. IV.

De Officialibus Congregationis, in genere.

(In Cap. III Regulae, § I).

1. Cuilibet Congregationi *praesidet iure ordinario Superior Regularis respectivus;* quod si ipse non possit vel nolit hoc officium exercere, *Sacerdotem Delegatum* instituat, qui bene sit instructus in obligationibus Regulae, et ad Congregationem regendam aptus sit; zelo et sanctitate vitae in primis excellat, ut Tertiariis verbo et exemplo praesit.

2. *Director* sive Ordinarius sive Delegatus in regenda Congregatione *adiuvatur* ab Officialibus, nempe *a Discretorio*. Huiusmodi Discretorium efformant *Minister* seu Rector vel Superior, *Sub-Minister* seu Vice Rector aut Vice Superior seu Assistens, *Consiliarii* seu Discreti, *Secretarius, Custos eleemosinarum, Magister Novitiorum, Infirmarius maior*. Discretorium ad triennium in officio perdurat. Pro Congregationibus mulierum Discretorium efformant, praeter Directorem, Ministra, Sub-Ministra, Consiliariae, Secretaria, Custos eleemosinarum, Magistra Novitiarum et Infirmaria maior. Poterunt etiam minora officia assignari, puta Sacristae, Bibliothecarii, Zelatorum etc., sed ad Discretorium non pertinent.

3. *Officiales Congregationum* sint zelo et prudentia praediti, et bonae apud omnes existimationis, ut ab omnibus sodalibus revereantur, nihilque contra eos detrahi possit.

4. *Visitator* semel in anno, vel etiam saepius, si opus fuerit, Discretorium et Congregationem visitet, prout infra dicetur Art. XVIII.

Art. V.

De Directore seu Commissario.

(In Cap. III Regulae, § I).

Officia Directoris Ordinarii aut Delegati sunt:

1. Postulantes ad habitum et ad professionem admittere; sodales incorrigibiles post trinam monitionem (ut in Cap. III Reg. § IV) ab Ordine expellere. Ad haec omnia tamen votum Discretorii, si Congregatio erecta sit, Director exquiret.

2. Diebus statutis conventum Tertiariorum convocare et conferentiam habere *(Vide supra Tit. III, Art. II, et infra Art. XIV, XV et XVI).* Saltem semel in mense novitios convocare ad eos in Regula instruendos, examinandos, et ad eorum dubia solvenda, magistris assistentibus.

3. Benedictionem Papalem et Absolutionem Generalem diebus statutis impertiri.

4. Ex *gravi* et *iusta* causa aliquod Regulae statutum commutare.

5. Votum decisivum in electionibus et in aliis scrutiniis, quando adsit paritas votorum, habere. De consilio Ministri et Sub-Ministri (extra Capitulum triennale) eligere sodales ad officia, vel ineptos aut negligentes Officiales ab officio removere, et alios subrogare, aut Officialium numerum, iuxta prudentiae regulas, imminuere *(Vide infra Art. VII n. 6, Art. VIII n. 3 et Art. XIV).*

6. *Libros* administrationis eleemosinarum saepe revidere, adhibitis ad hoc Ministro, Sub-Ministro et Discretis *(Vide infra Art. XI, XIV, XV, et XVI).*

7. A Superioribus Franciscalis Ordinis propriae

obedientiae saltem semel in anno Visitatores exposcere, ut Congregationem quoad disciplinam et directionem internam visitent *(Vide infra Articulum XVIII)*.

8. Adiutoribus Ministro, Sub-Ministro et Discretis, incremento Congregationis sedulo adlaborare, et Regulae observantiam zelare.

9. Director delegatus seu Commissarius facultate subdelegandi generatim caret.

Art. VI.

Regulae servandae in postulantibus ad Congregationem admittendis.

(In Cap. III Regulae, § I).

Praeter ea quae Tit. II. Art. I, II, III et IV dicta sunt de aggregatione ad Tertium Ordinem, haec insuper a Directore et Discretorio prae oculis habeantur, in postulantibus ad Congregationem admittendis.

1. Quum Congregatio Tertiariorum vel Tertiariarum Religiosae Familiae similis sit, Director omni studio et prudentia invigilet, ne in Congregationem cooptentur qui fraternam concordiam non ament, aut pravis moribus indulgeant, vel suspecti in fide catholica existant. Et quum Seraphicus Pater obedientiam et reverentiam Summo Pontifici, Iesu Christi Vicario promiserit, filiisque suis amorem, reverentiam et summam obedientiam erga Sedem Apostolicam praeceperit: non admittantur in Tertium Ordinem nisi illi qui Sanctae Sedi obsequentes humiliter sint, et in omnibus ei obedire parati. Peccatores ad meliorem frugem conversi, in Congregationem admitti possunt, postquam per

aliquod tempus iuxta legem christianam vixerint, et bonam famam recuperaverint; attamen non admittantur illi, quorum admissio pacem et bonum nomen Congregationis laederet.

2. Servatis hisce conditionibus in discretione, fideles ad Tertium Ordinem amplectendum prudenter et suaviter alliciantur, etiamsi iam societatibus catholicis nomen dederint, vel in Seminariis Dioecesanis, aut in scholis catholicis studiis operam dent; dummodo decimumquartum aetatis annum (iuxta praescriptum Regulae, Cap. I, § I) expleverint. Numquam tamen omnes adscripti alicui Societati, insimul qua tales, Tertio Ordini adscribantur, sed singillatim cum singulis de aggregatione ad Tertium Ordinem agatur. Congruum erit ut postulantes, antequam ad habitum admittantur, aliquo tempore, *velut in Postulatu*, probentur.

3. Ubi nondum Congregatio erecta est, Director, a competenti auctoritate institutus, fideles in Tertium Ordinem adscribat, postquam de eorum vita, moribus et fide catholica ipsi, prudentibus inquisitionibus adhibitis, et postulante examinato, constiterit. Quando autem sufficiens adscriptorum numerus adest, Congregatio, servatis iis quae supra hoc Titulo, Art. I dicta sunt, erigatur.

4. Ubi vero Congregatio iam erecta sit, et Officiales rite nominati, Director, praehabitis inquisitionibus et postulante examinato, Discretorii sententiam per vota secreta exquirat, et si maior Officialium pars consenserit, postulans in Tertium Ordinem cooptetur. Si vota secreta Discretorii paria sint, Director votum decisivum habeat.

5. Novitiatus per annum integrum perduret; quo tempore Novitii a Directore in Regula instruantur. Ubi vero Congregatio erecta est, Magi-

ster vel Magistra pro Novitiis deputentur *(vide infra Art. XII)*, ut in instructione impertienda Directorem adiuvent.

6. Finito anno Novitiatus, Fratres et Sorores ad Professionem admittantur, si tempore probationis sese laudabiliter gesserint; quod si professio, ad ampliorem probationem differenda videatur, per aliquod tempus, puta ad sex menses, non vero in indefinitum, protrahi poterit. Ubi Congregatio erecta est. Director, habitis a Magistro vel Magistra favorabilibus informationibus, Discretorii sententiam per vota secreta exquirat, et si maior Officialium pars consenserit, novitius vel novitia ad professionem admittantur. Si vota secreta Discretorii paria sint, Director votum decisivum habeat.

7. Admissio ad habitum et professionem, ad aemulationem et solemnitatem, publice fiat, convocata Congregatione; et Caeremoniale *(Art. II et III)*, a S. Sede pro hisce sacris functionibus approbatum, servetur.

Art. VII.

De Ministro vel Ministra.

(In Cap. III Regulae, § I).

1. Minister vel Ministra uti servos Sodalitii sese habeant: id enim vox *Minister* significat; et bonum Sodalitii propriae utilitati praeferant.

2. Minister vel Ministra sedulo invigilent ut Officiales obligationi suae satisfaciant; item curent ut inter confratres et respective inter sorores pax et concordia iugiter servetur, ac ut iuxta praescriptum Regulae praecepta Dei et Ecclesiae ab omnibus serventur, ita ut Christifidelibus bono exemplo Tertiarii praeluceant.

3. Minister vel Ministra sodales ad mensilem conferentiam, et ad alias sacras functiones Sodalitii, de consensu Directoris, invitent; et in assiduitate ad eadem ceteris consodalibus in exemplum sint.

4. Infirmos sodales Minister vel Ministra, habito consensu infirmi vel eius familiae, visitent, et si infirmitas periculum praeseferat, ad Sacramenta rite suscipienda suaviter hortentur, eosque consodalium precibus commendent; tandem de morte sodalis moneant ceteros confratres et sorores ut piis suffragiis animam defuncti expiare satagant, et exequiis assistant *(Vide supra Tit. III, Art. III et IV)*.

5. Minister vel Ministra, audito Discretorio, collectores eleemosinarum deputent, ut menstruas oblationes consodalium colligant; quae eleemosinae earum custodi Minister qualibet vice tradet, exquisita fide receptionis *(Vide infra Art. XI)*.

6. Si Ministrum vel Ministram mori contigerit, Capitulum pro nova electione convocetur si nondum duo anni ab eius electione expleti fuerint; quod si duo anni ministerii completi iam fuerint, Sub-Minister, et respective Sub-Ministra in locum demortui usque ad finem triennii succedant.

Art. VIII.

De Sub-Ministro vel Sub-Ministra.

(In Cap. III Regulae, § I).

1. Sub-Minister vel Sub-Ministra vices Ministri vel Ministrae suppleant in casu infirmitatis vel impedimenti; et in officio demortui succedant usque ad proximum Capitulum, si Ministrum vel Ministram

post completum biennium ministerii mori contigerit.

2. Sub-Minister et Sub-Ministra omnibus sessionibus Discretorii assistant, et Ministrum vel Ministram adiuvent.

3. Sub-Ministro vel Sub-Ministra decedentibus, primus consiliarius et respective prima consiliaria in officio usque ad finem trieunii succedant.

Art. IX.

De Consiliariis vel Discretis.

(In Cap. III Regulae, § I).

1. Consiliarii vel Discreti tot in qualibet Congregatione eligantur: quot necessarii aut utiles videbuntur. Tali autem modo ad eorum electionem procedatur, ut ii praeferantur, qui in parte civitatis aut oppidi eorum vigilantiae assignata inhabitent; ita ut quilibet Consiliarius et respective Consiliaria possibiliter proprium territorium pro vigilantia Tertiariorum, sub Directoris et Ministri dependentia, habeant.

2. Consiliarii et Consiliariae consilio et opera Ministrum et Ministram, in iis quae bonum Sodalitii respiciunt, adiuvent; sessionibus Sodalitii, quoties vocati fuerint, assistant, et mentem suam, debita cum reverentia, in negotiis Congregationis exprimant *(Vide Artic. praeced. n. 3)*.

3. Consiliarii et Consiliariae consodalibus, in territorio eorum vigilantiae assignato commorantibus, iussa Directoris vel Ministri communicent; et quum aliquem consodalem eorum vigilantiae concreditum infirmari contigerit, Ministrum et Infirmarium sine mora moneant.

4. Consiliariis adiutorio erunt *Zelatores et Zelatrices,* qui iuxta opportunitatem eligentur ut Tertiarios in territorio eorum curae assignato invigilent, et ad mensiles conferentias adeundas excitent, bonum Congregationis pro viribus curent, fideles ad Tertium Ordinem amplectendum prudenter alliciant, etc. Zelatores non adnumerantur inter Officiales Discretorii.

Art. X.

De Secretario vel Secretaria.

(In Cap. III Regulae, § 1).

1. Secretarius et respective Secretaria in libro Congregationis nomen et agnomen consodalium, locum nativitatis et domicilii, statum et conditionem, diem, mensem et annum admissionis ad habitum, professionis, mortis aut discessus a Congregatione, adnotare tenentur.

2. Iidem diligenter describant acta sessionum, Capitulorum et electionum, et eadem acta ac respectiva documenta diligenter custodiant; item praesto sint Ministro vel Ministrae ad eorum iussa et monita consodalibus (vel novitiis, mediante horum magistro) communicanda.

Art. XI.

De eleemosinarum Custode.

(In Cap. III Regulae, § 1).

1. Eleemosinarum Custos oblationes Congregationi factas, et sibi concreditas diligenter custodiat et in libro adnotet, indicando diem, mensem et annum quo eleemosina sibi tradita fuerit, et

nomen Collectoris aut Collectricis *(Vide supra Art. VII n. 5)*.

2. Eleemosinas consodalibus indigentibus idem Custos distribuat, de licentia Directoris et Ministri vel Ministrae; et in libro adnotet respectivum diem, mensem et annum, item nomen et agnomen consodalis, cui eleemosina largita fuerit.

3. Mandata a Superioribus accepta, ut aliquid pro Sodalitio, vel pro Divini cultus decore necessarium emat, idem Custos diligenter exequatur, et expensam in libro adnotet.

4. Custos saltem quotannis Discretorio, et quolibet triennio Sodalitii Capitulo de propria administratione rationem reddat.

5. Tertiarii indigentes et infirmi nullum ius ad eleemosinam a Congregatione accipiendam habent; Congregatio enim succurrendo, prout vires suppetunt, consodalibus infirmis et egentibus, actum caritatis, non vero iustitiae exercet.

Art. XII.

De Magistro Novitiorum vel Magistra Novitiarum.
(In Cap. III Regulae, § I).

1. Magister et respective Magistra Novitios in spiritu sanctae Regulae edoceant, et bono exemplo in eiusdem Regulae observantia praeeant; in formula professionis probe intelligenda et recte tempore suo proferenda instruant; Ministrum seu Ministram et Directorem de profectu et moribus novitiorum certiores faciant. Si opus sit, unus vel duo Sub-Magistri vel una aut duae Sub-Magistrae assumantur, ad maiorem novitiorum profectum. Sub-Magistri non adnumerantur inter Officiales Discretorii.

2. Si aliquem Novitiorum infirmari contigerit, Magister vel Magistra sine mora Ministrum et Infirmarium, et respective Ministram et Infirmariam moneant.

3. Quum a Novitiorum spirituali profectu Congregationis incrementum, et a Novitiorum oscitantia eiusdem Congregationis regressus pendeant; Magistri Novitiorum sedulo instruant Novitios suae curae commissos, et solerter curent ut iidem sub Directoris ductu exercitia spiritualia seu spiritualem secessum peragant, ut abiectis saeculi cupiditatibus, soli Deo, iuxta proprium statum et conditionem, servire satagant. Item Magistri Novitios sedulo convocent ad mensilem Novitiorum conventum, in quo a Directore in Regula ipsi Novitii instruuntur, examinantur, eorumque dubia solvuntur.

Art. XIII.

De Infirmariis.

(In Cap. III Regulae, § I).

1. Infirmarii aut Infirmariae plures vel pauciores instituantur prout necessitas vel utilitas postulabit, eorumque singulis pars civitatis aut oppidi assignetur, in quo caritatis officia consodalibus praestent. Inter ipsos unus Infirmarius *maior* (et respective Infirmaria *maior*) instituatur, cui de omnibus infirmis cura erit; ipse etiam invigilabit ut Infirmarii minores munus suum solerter adimplere satagant. Solus Infirmarius maior, non vero minores, inter Officiales Discretorii adnumeratur.

2. Infirmarii et Infirmariae visitent consodales infirmos, eisque caritatis officia praestent, et Di

rectorem ac Ministrum et respective Ministram de infirmorum temporalibus et spiritualibus necessitatibus aut obitu certiores reddant. Antequam ad consodales infirmos acedant, ab eisdem infirmis vel ab horum familiis licentiam petant.

3. Quod si in casu speciali infirmarii visitare et assistere consodales infirmos non possent, idem officium caritatis consodales in viciniis infirmi habitantes sedulo praestent.

Art. XIV.

De Capitulo triennali.

(In Cap. III Regulae, § 1).

1. Quum, iuxta praescriptum Regulae, officia ad triennium durent: hoc elapso, specialis sessio intimetur, ad Officiales eligendos. Haec sessio *Capitulum* vocatur.

2. In Capitulis voce activa (nempe suffragium dandi) gaudent: Director, Minister, Sub-Minister, Consiliarii seu Discreti, Secretarius, Custos eleemosinarum, Magister Novitiorum, Infirmarius *maior*, Ex-Ministri et Ex-Subministri. Voce passiva (ut nempe ad officia eligi possint) omnes professi gaudere possunt, nisi in poenam ab officiis interdicti fuerint. Idem respective servetur in Congregationibus mulierum.

3. Antequam ad electiones deveniatur, Pater Director seu Capituli Praeses eleemosinas durante triennio a Congregatione acceptas per summa capita perleget; item expensas pro pauperibus, infirmis, funeribus, caritatis operibus, aliisque Congregationis necessitatibus clare sed summarie indicabit, ad consodalium generositatem excitan-

dam; numerum consodalium ad habitum aut professionem admissorum, item defunctorum, aut eorum qui a Congregatione durante triennio discesserunt, perleget, et preces pro defunctis consodalibus omnes insimul recitabunt.

4. Inde cantato aut lecto Hymno *Veni Creator* cum Versiculo et Oratione *(Caerem. Art. V)*, habitoque a Praeside opportuno sermone, ad electiones Officialium per secreta suffragia deveniatur. Quod si alicubi consuetudo invaluerit ut Minister vel Ministra ab omnibus consodalibus professis eligatur, eadem servari poterit.

5. Nomina eorum qui electi fuerint coram Congregatione adunata publicabuntur, et gratiarum actiones, prout in Caeremoniali, fient.

6. Secretarius et respective Secretaria Congregationis acta Capituli diligenter describent, et in Archivio Sodalitii asservabunt.

Art. XV.

De Sessione quolibet anno habenda.

(In Cap. III Regulae, § I).

1. Praeter Capitulum triennale, *quolibet anno* specialis sessio ad rationem annuam reddendam convocetur.

2. In sessionis huiusmodi initio preces prout in Caeremoniali *(Art. IV)* fiant, et iure ferendi suffragium Officiales, prout in Capitulo triennali, gaudent, exclusis tamen ex-Ministris, et ex-Sub-Ministris.

3. In sessione annua Pater Director vel Praeses opportunum sermonem praemittat, indeque statum spiritualem et temporalem Congregationis per

summa capita patefaciat; numerum Consodalium durante anno in Congregationem receptorum, et defunctorum vel eorum qui a Congregatione discesserunt indicet.

4. Directores et Officiales Congregationum prae oculis habeant Epistolam Pii Pp. X, diei 8 Septembris 1912, de disciplina Tertii Ordinis caute moderanda, ne ulla in re ab instituto deflectat *(Vide supra pag. 22)*.

Art. XVI.

De sessionibus communibus Discretorii.

(In Cap. III Regulae, § I).

1. Discretorium, prout supra Art. IV. n. 2. dictum est, efformant Minister, Sub-Minister, Discreti, Secretarius, Custos eleemosinarum, Magister Novitiorum, et Infirmarius maior, sub dependentia Superioris vel Directoris aut Visitatoris. Idem respective dicatur de Congregatione mulierum.

2. Discretorium quolibet mense, et quoties intra mensem opus fuerit convocetur. Initio et in fine sessionis preces prout in Caeremoniali *(Art. IV)* fundantur.

3. Discretorium voce deliberativa gaudet in rebus suae competentiae, nempe: Ad officia minora sodales deputare, diem sessionis Discretorii statuere, postulantes ad habitum et novitios ad professionem admittere, Tertiarios aliis Congregationibus adscriptos propriae Congregationi aggregare, accusationes contra consodales delatas examinare, post trinam monitionem expulsionem sodalium decernere, visitationes infirmorum sodalium urgere

et visitatores deputare, subsidia pro infirmis et indigentibus sodalibus decernere, assiduitatem confratrum ad conferentiam mensilem mediis opportunis procurare, ea quae a Congregatione, iuxta spiritum Regulae, agenda sunt totis viribus urgere, expensas faciendas statuere.

4. Sessiones Discretorii possibiliter sub Directoris praesidentia fiant, vel saltem eius auctoritate a Ministro convocentur. Quae a Discretorio decernuntur nullam vim habent, nisi a Directore approbentur.

5. Officiales Discretorii sessionibus sedulo assistant. Quaestiones a Directore vel, de huius consensu aut eo absente, a Ministro proponantur. Discussione incepta, quilibet invitatus a Directore, mentem suam humiliter, clare et aperte, solum Deum prae oculis habendo, exprimat. Convenit ut antea iuniores et dein seniores mentem suam aperiant, ne iuniores ob seniorum antea loquentium honorem, mentem suam aperire non audeant.

6. Extra Discretorium servetur secretum de omnibus iis quae in sessionibus prolata sunt, ut libertati Officialium, in mente sua aperienda, consulatur.

7. Ob eandem causam nullus aliorum sententiam spernat, aut propriam aliis imponat, sed variae sententiae, sine personarum acceptione, perpendendae sunt.

8. Officiales Discretorii, ut ipsum nomen indicat, discreti et prudentes sint, bonum Congregationis et honorem Dei in omnibus quaerant. In postulantibus autem ad Ordinem admittendis nimiam severitatem aeque ac nimiam facilitatem vitent.

9. Si in quadam quaestione magna sit inter Officiales discrepantia opinionum, congruum erit

vel decisionem Directori relinquere, aut decisionem circa quaestionem propositam ad tempus magis opportunum differre.

10. Quaestione sufficienter discussa, ad vota seu scrutinium procedatur. Pro quaestionibus parvi momenti, in quibus oppositio seria non praevidetur, publice vota dari poterunt. In quaestionibus autem gravioribus, pro quibus discrepantia opinionum praevidetur, vota secreto dentur.

11. Ut scrutinium valorem habeat requiritur ut Discretorium fuerit legitime, nempe a Superiore aut Directore aut Visitatore, convocatum; ut omnes Officiales ad sessionem invitati fuerint, et ut saltem media pars Officialium praesens sit. Sufficit maior pars votorum, nempe ut vota affirmativa sint supra medietatem. In paritate votorum, Director votum decisivum habet; convenit tamen ut Director hoc iure non utatur si decisio onerosa pro Congregatione existeret; quo in casu quaestionem ad Visitatorem deferat.

Art. XVII.

De consociatione et congressibus Congregationum Tertii Ordinis.

(In Cap. III Regulae, § 1).

1. Summus Pontifex Pius X in Epistolis ad Tertiarios Franciscales e foederatis Sodalitiis Urbis, die 17 Decembris 1909, et ad Virum Eminentissimum Iosephum Calasanctium Card. Vives y Tuto, Tertiariorum Franciscalium Urbis conventibus praepositum, die 20 Decembris 1909, foedus inter Congregationes eiusdem Dioecesis aut Regionis, vel foedera generalia, salva earumdem Con-

gregationum autonomia, commendat, et congressus seu conventus inter Tertiarios eo fine laudat, ut viribus unitis omnes ad diffusionem et beneficam actionem Tertii Ordinis adlaborent *(Vide Epistolam Pii Pp. X, diei 8 Septembris 1912, pag. 22).*

2. *Foedus* inter Tertiarios id significat, ut quotquot sunt in una Dioecesi, Regione etc., Tertiarii Franciscales ex variis Sodalitatibus fraternam unionem rite faciant; quum sit exploratum vires coniunctas efficaciores esse, quam singulas. Sicut enim catholici nominis hostes in unum vires conferunt, ut prava consilia certius opere compleant: ita ad repugnandum iis congruenter, oportet ut omnes boni uniantur, iique in primis, qui servando Regulam S. Francisci, et cristianae fidei ac vitae aliis sunt in exemplum, atque ita christianam fidem et bonos mores in populo ex instituto fovent et tuentur.

3. Ad *foedus* efficaciter ineundum, Superiores Franciscales in Dioecesi, Regione etc. auctoritatem super Tertiarios exercentes, de foedere ineundo decernant. Inde Discretorium singularum Congregationum libenter foederi Dioecesano, aut Regionali etc. nomen det *salva* tamen *cuiusque obedientiae autonomia.*

4. Foedere inito Directores vel Delegati omnium Congregationum, quae foederi nomen dederunt, saepe sub Superiorum dependentia Sessiones habeant, ut de foederis profectu secum fraterne conferant, et viribus unitis, quae statuerint, cum Dei benedictione compleant. Ad foedus fovendum, *ephemeridis publicatio* plurimum proderit.

5. *In congressibus* Dioecesanis, Regionalibus, aut generalibus celebrandis, quae praescripta sunt

in Epistola SS. D. N. Pii Pp. X, die 8 Septembris 1912 *(Vide supra pag. 22)*, fideliter et religiose serventur.

Art. XVIII.

De Visitatoribus Congregationum.
(In Cap. III Regulae, § II et III).

1. Visitatores, iuxta praescriptum Regulae in Primo et Tertio Regulari Franciscali Ordine deputentur. Minister Generalis gaudet iure Visitatores per totum orbem deputandi; Minister Provincialis pro territorio suae Regularis Provinciae, Guardianus pro territorio sui Conventus seu pro suo Districtu eodem iure potiuntur. Hinc Visitatores Districtuales, Provinciales et Generales respective vocantur.

2. Pro locis in quibus Religiosi Franciscales desiderantur, Minister Generalis ad officium Visitatoris Sacerdotes saeculares vel Regulares alterius Ordinis, numquam vero laicos, deputare poterit.

3. Visitator Congregationes suae obedientiae, non vero alterius obedientiae, visitare poterit. Ita Visitator a Superioribus unius ex Franciscalibus Familiis deputatus, visitare non poterit Congregationes quae obedientiae Superiorum aliarum Franciscalium Familiarum vel Fratrum Tertii Ordinis Regularis S. P. Francisci subsunt; et vicissim.

4. Visitator ius habet intimandi Capitula et sessiones Congregationis quam visitat, eisque praesidendi; inquirendi utrum Regula in Congregatione servetur; Officiales et consodales convocandi et cum caritate corrigendi et admonendi; commutandi et

dispensandi ex gravi et iusta causa in aliqua ordinatione Regulae; Benedictionem Papalem et Absolutionem Generalem impertiendi, si visitatio incidat in dies, quibus illae impertiri possint. Nova tamen Sodalitia seu Congregationes, tempore quo officium suum perdurat, erigere, ac fideles ad habitum et professionem admittere poterunt, prout a Superiore Ordinario Primi aut Tertii Ordinis facultatem obtinuerint. Quum Visitator sit delegatus, facultate subdelegandi generatim caret.

PARS SECUNDA

DE INDULGENTIIS TERTII ORDINIS SAECULARIS S. FRANCISCI ASSISIENSIS

TITULUS PRIMUS.

Indulgentiae, Privilegia et Indulta Tertio Ordini directe concessa.

Decretum S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, quo exhibetur novum *Summarium Indulgentiarum, privilegiorum ac indultorum* Sodalibus Tertii Ordinis Saecularis S. Francisci Assisiensis concessorum.

Caput I.

Indulgentiae Plenariae.

I. Tertiariis ex utroque sexu vere poenitentibus, confessis ac S. Synaxi refectis:

* 1. Die ingressus [1];

* 2. Die professionis;

* 3. Quoties potioris vitae studio per octo dies continuos spiritualibus exercitiis vacaverint;

4. Die 16 Aprilis, anniversario professionis

[1] Indulgentiae quae hoc signo * denotantur, concessae sunt per Constitutionem quae incipit *Misericors Dei Filius* diei 30 Maii 1883; alterae vero per Litteras Apostolicas in forma Brevis diei 7 Septembris 1901.

S. P. Francisci, vel, si legitime impediti fuerint, Dominica immediate sequenti, dummodo professionem Tertii Ordinis renovaverint.

II. Iisdem Tertiariis, si uti supra dispositi ad mentem Sanctitatis Suae oraverint:

* 1. Bis in anno si Benedictionem nomine Summi Pontificis acceperint;

Diebus sequentibus, quibus Absolutionem seu Benedictionem receperint, nempe

* 2. Natali D. N. I. Chr.;

* 3. Paschatis Resurrectionis;

* 4. Pentecostes;

* 5. in festo SSmi Cordis Iesu;

* 6. in festo Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis;

* 7. in festo S. Iosephi Sp. B. M. V. (die 19 Martii);

* 8. In festo Impressionis SS. Stigmatum S. P. Francisci (die 17 Septembris);

* 9. in festo S. Ludovici regis Galliarum, Patroni caelestis salutaris Tertii Ordinis (die 25 Augusti);

* 10. in festo S. Elisabeth Hungaricae (die 19 Novembris);

III. Iisdem Tertiariis, si uti supra dispositi aliquam Ecclesiam vel publicum Sacellum devote visitaverint et ad mentem Summi Pontificis aliquamdiu oraverint:

* 1. Quo die ad concionem menstruam, seu *Conferentiam,* conveniunt;

* 2. Semel singulis mensibus, quo die cuique placuerit.

IV. Iisdem Tertiariis, qui uti supra dispositi Ecclesiam ubi sedes Sodalitii est constituta devote visitaverint, diebus festis sequentibus:

1. SSmae Trinitatis;
2. Circumcisionis,
3. Epiphaniae,
4. Ascensionis } D. N. I. C.;
5. Nativitatis,
6. Purificationis,
7. Annuntiationis,
8. Assumptionis } B. Mariae V.;
9. S. Michaelis Arch.;
10. SS. Angelorum Custodum;
11. S. Ioannis Baptistae;
12. SS. Apostolorum Petri et Pauli;
13. B. Odorici, Conf. 1 Ord. (14 Ianuarii) [1];
14. SS. Berardi, Petri et Soc. Protomartyrum Ord. Seraph. (16 Ian.);
15. S. Hyacinthae de Marescottis, Virg. 3 Ord. (30 Ian.);
16. B. Andreae de Comitibus, Conf. 1. Ord. (1 Februarii);
17. SS. Petri-Baptistae et Soc. Mm. Iaponensium 1. et 3. Ord. (5 Febr.);
18. S. Conradi a Placentia, Conf. 3. Ord. (19 Febr.);
19. S. Angelae Mericiae, Virg. 3. Ord. (21 Febr.);
20. S. Margaritae de Cortona, 3. Ord. (22 vel 23 Febr.);
21. S. Coletae, Virg. 2. Ord. (6 Martii);
22. S. Catharinae de Bononia, Virg. 2. Ord. (9 Mart.);
23. S. Fidelis a Sigmaringa Mart. 1. Ord. (24 Aprilis).
24. B. Luchesii, ex Tertiariis primi, qui ab ipso

[1] Vide infra Tit. VI, Art. III, § II, n. 14.

S. Institutore habitu Tertii Ord. indutus fuit (28 vel 15 Apr.);

25. S. Paschalis Baylon, Conf. 1. Ord. (17 Maii);

26. S. Ivonis, Conf. 3. Ord. (19 Maii);

27. S. Bernardini Senensis, Conf. 1. Ord. (20 Maii);

28. S. Ferdinandi Regis, Conf. 3. Ord. (30 Maii);

29. S. Antonii Patavini, Conf. 1. Ord. (13 Iunii);

30. S. Laurentii a Brundusio, Conf. 1. Ord. (7 Iulii);

31. S. Elisabeth Reg. Portug. 3. Ord. (8 Iul.);

32. S. Veronicae de Iulianis, Virg. 2. Ord. (9 Iul. vel 13 Septemb.);

33. S. Bonaventurae Eccl. Doct. 1. Ord. (14 Iul.);

34. S. Rochi Conf. 3. Ord. (16 Aug.);

35. S. Ludovici Episc. Tolosani, 1. Ord. (19 Aug.);

36. S. Rosae de Viterbio, Virg. 3. Ord. (4 Septembris);

37. S. Iosephi a Cupertino, Conf. 1. Ord. (18 Septemb.);

38. S. Elzearii Comitis Ariani, Conf. 3. Ord. (27 Septemb.);

39. S. Mariae Franciscae a Vulneribus D. N. I. Ch., Virg. 3. Ord. (6 Octobris);

40. SS. Danielis et Soc. Mm. 1. Ord. (13 Octob.);

41. S. Petri de Alcantara, Conf. 1. Ord. (19 Octob.);

42. B. Delphinae, Virg. 3. Ord. (27 Novembris);

43. Omnium Sanctorum Trium Ordinum Sancti Francisci (29 Novemb.).

V. Iisdem Tertiariis, uti supra pariter dispositis, qui Ecclesiam in qua sedes Sodalitii est constituta devote visitaverint, ibique pias preces ad mentem Summi Pontificis aliquamdiu effuderint:

* 1. Die festo S. Francisci Patris legiferi (4 Octobris);

* 2. Die festo S. Clarae Virg. legiferae (12 Augusti);

* 3. Die festo Sancti Titularis Ecclesiae in qua sedes Sodalitii est constituta;

4. Toties quoties ex primis vesperis usque ad occasum solis [1] diei 2 Augusti pariter Ecclesiam vel etiam Sacellum ubi est sedes Sodalitii visitaverint.

VI. Iidem Tertiarii recitando *Pater, Ave* et *Gloria* quinquies pro incolumitate rei christianae et semel ad mentem Summi Pontificis, eas omnes indulgentias toties quoties consequuntur, quas lucrantur fideles qui stationes Urbis, Portiunculam, Hierosolymitana loca, aedem S. Iacobi Ap. Compostellanam visitant, servatis decretis 7 Martii 1678 § *Indulgentias vero*, 16 Febr. 1852 et 14 April. 1856.

VII. Iidem Tertiarii recitantes coronam Franciscanam, scilicet, septem gaudiorum B. M. V., quae constat 72 *Ave Maria* et 7 *Pater noster*, addito uno *Pater* pro Summo Pontifice, lucrantur indulgentiam plenariam eidem recitationi pro Ordine Seraphico adnexam.

* VIII. Tandem plenaria indulgentia iisdem Tertiariis morituris, si vere poenitentes, confessi ac

[1] A meridie diei 1 Augusti ad mediam noctem diei 2 Augusti (*S. C. S. Off. 26 Ian. 1911*).

S. Synaxi refecti, vel saltem contriti, SSmum Iesu nomen ore, si potuerint, sin minus corde, devote invocaverint.

Caput II.

Indulgentiae Stationum Urbis.

* Diebus Stationum in Missali Romano descriptis iidem Tertiarii, si Ecclesiam, in qua sedes est Sodalitii constituta, visitaverint ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint, easdem indulgentias consequuntur, quas consequerentur praefatis diebus, si personaliter visitarent Ecclesias Urbis vel extra eam [1].

Caput III.

Indulgentiae Partiales.

I. *Septem annorum totidemque quadragenarum* omnibus ex utroque sexu Tertiariis qui Ecclesiam, in qua est sedes Sodalitii constituta, devote visitaverint et ad mentem Summi Pontificis oraverint:

* 1. Die Impressionis SS. Stigmatum;
* 2. In festo S. Ludovici Regis;
* 3. In festo S. Elisabeth Hungaricae;
* 4. In festo S. Margaritae Cortonensis;
* 5. In festo S. Elisabeth Reginae Lusitaniae;
* 6. In aliis duodecim diebus ab libitum eligendis, cum approbatione tamen praefecti Ordinis;
7. In festo Desponsationis,
8. In festo Visitationis,
9. In festo Praesentationis,

} B. Mariae V.;

10. In festo Inventionis et
11. In festo Exaltationis S. Crucis.

[1] Infra sub Titulo II ponitur elenchus Indulgentiarum Stationum Urbis.

* II. *Tercentorum dierum:* Sodalibus Tertiariis quoties Missae aliisque divinis officiis vel Sodalitatis conventibus publicis vel privatis interfuerint; - inopes hospitio receperint; - dissidia composuerint vel componenda curaverint; - processionibus interfuerint; - SS. Sacramentum cum circumfertur, comitati fuerint: vel, si hoc facere nequiverint, ad pulsum campanae Orationem Dominicam cum Angelica Salutatione semel recitaverint; - quinquies *Pater* et *Ave* recitaverint rei christianae vel animabus Sodalium defunctorum Deo commendandis; - defunctos ad sepulturam comitaverint; - devium quemquem ad officium reduxerint; - Dei praeceptis ceterisque ad salutem necessariis quempiam erudierint; - aut tandem quodcumque pium opus pietatis vel caritatis exercuerint.

Omnes et singulae indulgentiae hucusque relatae, excepta tamen plenaria in articulo mortis lucranda, sunt etiam applicabiles animabus defunctorum in purgatorio detentis *(Constit. 30 Maii 1883; Breve 7 Septembris 1901).*

Caput IV.

Privilegia.

* 1. Sacerdotes Tertiarii ad quodlibet Altare Missam celebrantes gaudent indulto Altaris privilegiati personalis tribus in qualibet hebdomada diebus, dummodo simile indultum pro alia die non impetraverint *(Constit. 30 Maii 1883).*

* 2. Missae omnes quae in suffragium Sodalium defunctorum celebrantur, sunt semper et ubique privilegiatae *(ibid.).*

Caput V.

Indulta.

1. Tertiarii omnes legitime impediti quominus Ecclesiam adeant Absolutionem generalem diebus assignatis, qui profesti [1] sunt, accepturi, eam accipere valent alio die festo de praecepto, qui intra octiduum eorum profestorum dierum occurrat *(Rescr. S. C. Indulg. 16 Ianuarii 1886)*.

2. Tertiarii Absolutionem Generalem pridie festi, post expletam sacramentalem confessionem recipere valent *(Decr. S. C. Indulg. 2 Iulii 1888)*.

3. Tertiarii degentes in locis ubi nulla adest constituta Tertii Ordinis Sodalitas, loco Benedictionis nomine Summi Pontificis, bis in anno Absolutionem seu Benedictionem cum adnexa plenaria indulgentia recipere valent *(Decr. S. C. Indulg. 31 Ianuarii 1893)*.

4. Tertiarii, si sint infirmi vel convalescentes nec possint commode e domo egredi, recitando quinque *Pater* et *Ave* et orando ad intentionem Summi Pontificis, lucrantur easdem indulgentias ac si personaliter visitata fuisset Ecclesia Ordinis vel Sodalitii *(Breve 7 Septembris 1901)*.

5. Iidem Tertiarii infirmi vel convalescentes Absolutionem generalem recipere, et etiam omnes plenarias indulgentias pro determinatis diebus concessas lucrari valent quacumque die infra octiduum festi cui Absolutio vel plenaria indulgentia est adsignata, ceteris adimpletis conditionibus *(Rescr. S. C. Indulg. 13 Aug. 1901)*.

[1] Dies profesti sunt Festa suppressa.

6. Tertiarii omnes lucrari valent indulgentias tam omnibus fidelibus Ecclesias franciscales visitantibus concessas [1], quam illas quae Tertii Ordinis saecularis sunt propriae, ea conditione ut Ecclesiam parochialem visitent in omnibus iis locis ubi neque Ecclesiae franciscales, neque Oratoria publica Tertii Ordinis saecularis, aut alia Ecclesia, in qua canonice erecta sit Sodalitas, existunt *(Decr. S. C. Indulg. 30 Ianuar. 1893)*.

DECRETUM.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, utendo facultatibus a SSño Dño Nostro Leone Pp. XIII sibi tributis, praesens Summarium omnium Indulgentiarum, Privilegiorum ac Indultorum Sodalibus Tertii Ordinis Saecularis S. Francisci Assisiensis concessorum, nunc primum ex authenticis documentis excerptum, recognovit et approbavit, typisque mandari benigne permisit.

Datum Romae ex Secret. eiusdem S. C. die 11 Septembris 1901.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

(Loc. ✠ Sig.)

Pro R. P. D. Franc. Archiep. Amiden., *Secret.*

I. M. Canonicus Coselli, *Substitutus.*

[1] Infra sub Titulo III ponitur elenchus harum Indulgentiarum.

TITULUS SECUNDUS.

Elenchus Indulgentiarum Stationum Urbis, de quibus in Summario Tertiariorum Capite secundo.

1. *Indulgentiae Plenariae:* Feria quinta *in Coena Domini;* Dominica Resurrectionis; in Ascensione D. N. I. C.; in festo Nativitatis D. N. I. C. a tertiae Missae initio ad finem diei 25 Decembris.

2. *Triginta annorum totidemque quadragenarum:* Die 1 Ianuarii, nempe in festo Circumcisionis D. N. I. C., die 6 Ianuarii, nempe in festo Epiphaniae Domini; Dominicis in Septuagesima, Sexagesima et Quinquagesima; Feria sexta *in Parascreve* et Sabbato Sancto; Feriis secunda, tertia, quarta, quinta et sexta Paschatis; Sabbato et Dominica *in Albis,* die 25 Aprilis, nempe in festo S. Marci Evang.; Feriis secunda, tertia et quarta Rogationum; Dominica Pentecostes, ac Feriis secunda, tertia, quarta, quinta, sexta et Sabbato Pentecostes; die 26 Decembris, nempe in festo S. Stephani Protomartyris; die 27 Decembris nempe in festo S. Ioannis Apostoli et Evangelistae die 28 Decembris, nempe in festo SS. Innocentium Martyrum.

3. *Vigintiquinque annorum totidemque quadragenarum:* Dominica Palmarum.

4. *Quindecim annorum totidemque quadragenarum:* Feria quarta Cinerum; Dominica quarta Quadragesimae; Dominica tertia Adventus; die 24 Decembris, nempe in Vigilia Nativitatis D. N. I. C.; die 25 Decembris ad primam Missam in nocte; eodem die ad secundam Missam in aurora.

5. *Decem annorum totidemque quadragenarum:* Feriis quinta, sexta et Sabbato post Cineres; Dominica prima in Quadragesima, et subsequentibus Feriis secunda, tertia, quarta, quinta, sexta, et Sabbato; Dominica secunda in Quadragesima, et subsequentibus Feriis secunda, tertia, quarta, quinta, sexta et Sabbato; Dominica tertia in Quadragesima, et subsequentibus Feriis secunda, tertia, quarta, quinta, sexta et Sabbato; Feria secunda post Dominicam quartam in Quadragesima, et subsequentibus Feriis tertia, quarta, quinta, sexta et Sabbato; Dominica Passionis, et subsequentibus Feriis secunda, tertia, quarta, quinta, sexta et Sabbato: Feria secunda Maioris Hebdomadae, et subsequentibus Feriis tertia et quarta; Sabbato in Vigilia Pentecostes; Feriis quarta, sexta ac Sabbato Quatuor Temporum Septembris; Dominicis prima et secunda Adventus; Feriis quarta, sexta ac Sabbato Quatuor Temporum Decembris; Dominica quarta Adventus.

TITULUS TERTIUS.

Elenchus Indulgentiarum, quae omnibus fidelibus Ecclesias Franciscales visitantibus concessae sunt, et circa quas versatur Indultum concessum Tertiariis, prout in Summario Capite quinto, numero sexto.

a) Indulgentiae Plenariae.

14. Ianuarii. B. Bernardi a Corleone Conf. 1. Ord. *Conditiones:* Universis Christifidelibus, qui, confessi ac S. Synaxi refecti, quamlibet Ordinis Ecclesiam seu publicum Oratorium visitaverint, ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint;

applicabilis pro Defunctis. *(Ita in Summario Ord. Fr. Min. Capucc. a S. C. Indulg. approbato die 23 Iunii 1905).*

16 Ianuarii. SS. Berardi et Soc. Mart. 1. Ord. *(Sum. Cap.).* Conditiones ut 14 Ian.

30 Ianuarii. S. Hyacinthae de Mariscottis Virg. 3. Ord. *Conditiones:* Confessio, Communio, Visitatio Ecclesiae Franciscalis, et oratio ibi fusa ad mentem Summi Pontificis. *(Pius VII, Brevi* Ad augendam *17 Novembris 1807). Ita in Summario Ord. Min. a S. C. Indulg. die 20 Iul. 1841 approbato.* At eadem S. C. Indulg. die 25 Iun. 1904 respondit: « *Summarium illud, quamvis approbatum, nova indigere revisione* ».

31 Ianuarii. B. Ludovicae de Albertonibus Vid. 3. Ord. *Conditiones* ut 30 Ian. *(Pius IX die 8 Aug. 1862). Ita Collectio Indulgentiarum P. Petri Mocheggiani Ord. Min. Obs., editio 1897 n. 1469. Non constat ex eodem auctore utrum Indulgentia sit affixa diei, non expresso nomine beatae, vel sit affixa festo, nomine beatae expresso.*

Dominica II post Epiphaniam vel 14 Ianuarii [1] SS. Nominis Iesu *(Sum. Cap. et S. C. Indulg. 22 Aug. 1906).* Conditiones ut 14 Ianuarii.

Feria VI ante Dominicam Septuagesimae. Mysteriorum Viae Dolorosae D. N. I. C. *Conditiones:* Omnibus ex utroque sexu Christifidelibus, qui confessi ac S. Synaxi refecti, aliquam Ecclesiam vel aliquod publicum Sacellum Fratrum ac Sororum trium Ordinum Regularium S. Francisci devote visitaverint, ibique ad mentem Summi Pontificis pie oraverint *(S. C. Indulg. 13 Iun. 1906).*

[1] Varii dies pro Indulgentiis indicantur, quando respectiva fes diverso die a variis Franciscanis Familiis vel a Fratribus Tertii Ordini Regularis S. Francisci recoluntur.

1 Februarii. B. Andreae de Comitibus Conf. 1. Ord. *(Sum. Cap.)*. Conditiones ut 14 Ian.

4 Februarii. S. Iosephi a Leonissa Conf. 1. Ord. *(Sum. Cap.)*. Conditiones ut 14 Ian.

5 Februarii. SS. Petri Bapt. et Soc. Mart. Iapon. 1 et 3 Ord. *(Sum. Cap.)*. Conditiones ut 14 Ian.

13 Februarii vel 30 Martii aut 28 Ianuarii. B. Angelae de Fulgineo Vid. 3. Ord. *(Sum. Cap. ex Decr. 11 Aug. 1905)*. Conditiones ut 14 Ian.

22 vel 23 Februarii. S. Margaritae de Cortona, Poenit. 3. Ord. *(Sum. Cap.)*. Conditiones ut 14 Ian

Una ad libitum ex Feriis Sextis Quadragesimae *(Clemens XIV 23 Nov. 1772.* Ad augendam). Conditiones ut 30 Ian.

5 Martii. S. Ioannis Iosephi a Cruce Conf. 1. Ord. *(Sum. Cap.)*. Conditiones ut 14 Ian.

6 Martii. S. Coletae Virg. 2. Ord. *(Pius VII, Brevi* Ad augendam *13 Iul. 1807. Ita in Summario de quo vide 30 Ian.)*. Conditiones ut 30 Ian.; applicabilis pro vivis et defunctis.

9 Martii. S. Catharinae Bononien. Virg. 2. Ord. *(Sum. Cap.)*. Conditiones ut 14 Ian.

19 Martii. Commemoratio solemnis S. Ioseph, Sponsi B. M. V., Conf. *(Sum. Cap.)*. Conditiones ut 14 Ian.

22 Martii. S. Benvenuti Auximani Episc. et Conf. 1. Ord. *(S. C. Indulg. 22 Aug. 1906)*. Conditiones ut 30 Ian.

24 Martii. *Non expresso nomine (vide infra Tit. VI, Art. III, § II, n. 18)* B. Didaci Iosephi a Gadibus Conf. 1. Ord. *(Pius X 3 Mart. 1909)*. Conditiones ut 14 Ian.

28 Martii vel 23 Octobris. S. Ioannis a Capi-

straño Conf. 1. Ord. *(Sum. Cap.)* Conditiones ut 14 Ian.

3 Aprilis. S. Benedicti a S. Philadelpho Conf. 1. Ord. *(Pius VII, Brevi* Ad augendam *17 Nov. 1807. Ita in Summario, de quo vide 30 Ian.* Conditiones ut 30 Ian.

24 Aprilis S. Fidelis a Sigmaringa Mart. 1. Ord. *(Sum. Cap.)*. Conditiones ut 14 Ian.

Dominica III post Pascha. Solemnitas S. Ioseph, Sponsi B. M. V., Conf., Ecclesiae Universae Patroni. *(Sum. Cap.)*. Conditiones ut 14 Ian.

11 Maii. *Non expresso nomine* B. Benedicti ab Urbino Conf. 1. Ord. *(Pius X 3 Mart. 1909)*. Conditiones ut 14 Ian.

13 Maii. S. Petri Regalati Conf. 1. Ord. *(Sum. Cap.)*. Conditiones ut 14 Ian.

17 Maii. S. Paschalis Baylon Conf. 1. Ord. *(Sum. Cap.)*. Conditiones ut 14 Ian.

18 Maii. S. Felicis a Cantalicio Conf. 1. Ord. *(Sum. Cap.)*. Conditiones ut 14 Ian.

20 Maii. S. Bernardini Senensis Conf. 1. Ord. *(Sum. Cap.)*. Conditiones ut 14 Ian.

22 Maii vel 28 Aprilis aut 9 Iunii. S. Pauli a Cruce Conf. *(Sum. Cap.)*. Conditiones ut 14 Ian.

23 Maii. B. Crispini a Viterbio Conf. 1. Ord. *(Sum. Cap.)*. Conditiones ut 14 Ian.

31 Maii. *Non expresso nomine* B. Felicis a Nicosia Conf. 1. Ord. *(Pius X 3 Mart. 1909)*. Conditiones ut 14 Ian.

Commemoratio solemnis SS. Corporis D. N. I. C. *(S. C. Indulg. 22 Aug. 1906)*. Conditiones ut 30 Ian.

13 Iunii. S. Antonii Patavini Conf. 1. Ord. *(Sum. Cap.)*. Conditiones ut 14 Ian.

19 Iunii. B. Michelinae a Pisauro Vid. 3. Ord.

(Clemens XII Breri Ad augendam, *27 Septembr. 1737. Ita in Summario, de quo vide 30 Ian.)*. Conditiones ut 30 Ian.

7 Iulii. S. Laurentii a Brundusio Conf. 1. Ord. *(Sum. Cap.)*. Conditiones ut 14 Ian.

9 vel 11 Iulii. SS. Nicolai et Soc. Mart. Gorcom. 1. Ord. *(Sum. Cap.)*. Conditiones ut 14 Ian.

11 vel 9 Iulii aut 13 Septembris. S. Veronicae de Iulianis Virg. 2. Ord. *(Sum. Cap.)*. Conditiones ut 14 Ian.

14 Iulii. S. Bonaventurae Episc. Conf. et Eccl. Doct. 1. Ord. *(Sum. Cap.)*. Conditiones ut 14 Ian.

24 Iulii. S. Francisci Solani Conf. 1. Ord. *(Sum. Cap.)*. Conditiones ut 14 Ian.

27 Iulii. *Non expresso nomine* B. Mariae Magdalenae Martinengo Virg. 2. Ord. *(Pius X, 3 Mart. 1909)*. Conditiones ut 14 Ian.

2 Augusti, seu *(visitationes a meridie)* 1 Augusti, toties quoties *(Sum. Cap.)*. Conditiones ut 14 Ian.

12 Augusti. S. Clarae Assis. Virg. *(Sum. Cap.)*. Conditiones ut 14 Ian.

16 Augusti. S. Rochi Conf. 3. Ord. *(Sum. Cap.)*. Conditiones ut 14 Ian.

19 Augusti. S. Ludovici Tolosani Episc. Conf. 1. Ord. *(Sum. Cap.)*. Conditiones ut 14 Ian.

25 vel 26 Augusti. S. Ludovici Reg. Conf. 3. Ord. *(Sum. Cap.)*. Conditiones ut 14 Ian.

Dominica post Octavam Assumptionis B. M. V. Septem Gaudiorum B. Mariae V. *(S. C. Indulg. 13 Iun. 1906)*. Conditiones ut Feria VI ante Dominicam Septuagesimae.

4 Septembris. S. Rosae Viterbien. Virg. 3. Ord. *(Sum. Cap.)*. Conditiones ut 14 Ian.

11 Septembris. B. Bernardi ab Ophyda Conf.

1. Ord. *(Sum. Cap. ex Decr. 11 Aug. 1905)*. Conditiones ut 14 Ian.

17 Septembris. Impressionis SS. Stigmatum S. P. Francisci *(Sum. Cap.)*. Conditiones ut 14 Ian.

18 Septembris. S. Iosephi a Cupertino Conf. 1. Ord. *(Sum. Cap.)*. Conditiones ut 14 Ian.

25 vel 24 Septembris. S. Pacifici a S. Severino Conf. 1. Ord. *(Sum. Cap.)*. Conditiones ut 14 Ian.

4 Octobris. Seraphici P. S. Francisci *(Sum. Cap.)*. Conditiones ut 14 Ian.

6 vel 7 Octobris. S. Mariae Franciscae a V. Vulneribus D. N. I. C. Virg. 3. Ord. *(Sum. Cap.)*. Conditiones ut 14 Ian.

12 Octobris. S. Seraphini a Monte Granario Conf. 1 Ord. *(Sum. Cap.)*. Conditiones ut 14 Ian.

13. Octobris. SS. Danielis et Soc. Mart. *(Sum. Cap.)*. Conditiones ut 14 Ian.

19 Octobris. S. Petri de Alcantara Conf. 1. Ord. *(Sum. Cap.)*. Conditiones ut 14 Ian.

26 Octobris. B. Bonaventurae a Potentia Conf. 1. Ord. *(Pius VI, Ex audientia Sanctissimi, 15 Dec. 1775)*. Conditiones ut 30 Ian.

30 Octobris. *Non expresso nomine* B. Angeli ab Acrio Conf. 1. Ord. *(Pius X, 3 Mart. 1909)*. Conditiones ut 14 Ian.

3 Novembris vel 1 Decembris aut 5 Octobris aut alia qua fit Commemoratio Omnium Defunctorum Ordinis Franciscalis *(Sum. Cap.)*. Conditiones ut 14 Ian.

13 vel 12 Novembris. S. Didaci Conf. 1. Ord. *(Sum. Cap.)*. Conditiones ut 14 Ian.

16 Novembris. S. Agnetis Assisiensis Virg. 2. Ord. *(S. C. Indulg. 2 Sept. 1895)*. Conditiones ut 30 Ian. *(Analecta Ord. Fr. Min. Cap. an. 1895 pag. 353)*.

19 Novembris. S. Elisabeth Hungaricae Vid. 3. Ord. *(Sum. Cap.)*. Conditiones ut 14 Ian.

26 Novembris. S. Leonardi a Portu Mauritio Conf. 1. Ord. *(Sum. Cap.)*. Conditiones ut 14 Ian.

28 Novembris. S. Iacobi Piceni Conf. 1. Ord. *(Sum. Cap.)*. Conditiones ut 14 Ian.

29 Novembris. Omnium Sanctorum universi Seraphici Ordinis *(Sum. Cap.)*. Conditiones ut 14 Ian.

8 Decembris. Immaculata Conceptio B. M. V. *(Sum. Cap.)*. Conditiones ut 14 Ian.

9 vel 14 aut 20 Decembris seu 14 Novembris S. Iosaphat Polocensis Episc. Mart. *(Sum. Cap.)*. Conditiones ut 14 Ian.

b) Indulgentiae partiales.

Omnibus fidelibus qui corde saltem contrito ac devote Ecclesias trium Ordinum visitaverint: 1. *Decem annorum*, in festis Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, SS. Trinitatis, Corporis Christi, SS. Cordis Iesu; necnon Immaculatae Conceptionis, Purificationis, Annuntiationis, Visitationis, Assumptionis et Nativitatis B. Mariae V.; item: S. Ioannis Baptistae, SS. Apost. Petri et Pauli, S. P. Francisci, S. Clarae Assis. et Omnium Sanctorum tam totius Ecclesiae quam Ordinis Franciscalis; 2. *Septem annorum* in aliis festis Domini ac Deiparae (quae in Ecclesia universa celebrantur, *iuxta Decr. S. C. Indulg. 18 Sept. 1862)*, et in festis cuiusque Sancti vel Sanctae Ordinis Minorum; 3. *Trium annorum* singulis Dominicis per annum, aliisque festivis diebus in quibus soleat applicari Missa pro populo; 4. *Trecentorum dierum*

reliquis per annum diebus *(S. C. Indulg. 22 Aug. 1906).*

Christifideles universi, qui corde saltem contriti ac devote quamcumque ex Ordinis Ecclesiis visitaverint, indulgentiam *decem annorum totidemque quadragenarum* lucrari possunt sequentibus diebus festis necnon singulis diebus octavarum eorumdem festorum; nempe: Immaculatae Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis B. Mariae V.; S. P. Francisci et S. Clarae Assis. *(Sum. Cap.).*

Fideles Ecclesias Ordinis Minorum corde saltem contrito ac devote visitantes lucrari possunt indulgentiam *septem annorum et septem quadragenarum* singulis sextis feriis Quadragesimae, excepta una, in qua lucrari potest indulgentia plenaria, prout adnotatum invenitur in fine Februarii *(Clemens XIV 23 Nov. 1772* Ad augendam).

Fideles Ecclesias Ordinis Minorum corde saltem contrito ac devote visitantes, ibique ad mentem Summi Pontificis orantes, lucrari possunt indulgentiam *biscentum dierum* in quolibet ex duodecim Sabbatis ante solemnitatem Immaculatae Conceptionis B. M. V. *(Clemens XIV in Breri 10 Iun. 1774).*

TITULUS QUARTUS.

Elenchus Indulgentiarum, quas Tertiarii, sicut et caeteri fideles in Ecclesiis Franciscalibus lucrari possunt.

a) Indulgentiae Plenariae.

Universis Christifidelibus, qui, confessi ac S. Synaxi refecti, quamlibet Ordinis Ecclesiam seu publicum Oratorium visitaverint ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint:

1. In festo Titularis cuiuslibet ex dictis Ecclesiis vel Oratoriis. Est applicabilis pro defunctis *(Sum. Cap.)*.

2. Una die ad libitum ex tribus, quibus expositio SS. Sacramenti locum habet in Ecclesiis Ordinis, ad instar XL Horarum, quamvis nocturno tempore interrupta. Est applicabilis pro defunctis *(Sum. Cap.)*.

3. Prima feria III cuiusvis mensis, dummodo peragatur visitatio SSmi Sacramenti in Ecclesiis Ordinis expositi. Est applicabilis pro defunctis. *(Sum. Cap.)*.

4. In novemdiali ante festum S. Antonii de Padua, dummodo assistatur Expositioni SS. Sacramenti, quae fit in Ecclesiis Ordinis. Indulgentia plenaria in uno ad libitum ex novem diebus, in aliis Indulgentia partialis, ut infra dicetur (*Clemens XIV 23 Nov. 1772*, Ad augendam). Item in novemdiali ante festum S. Iosephi a Cupertino (*Clemens XIV 23 Nov. 1772*, Ad augendam). Item in novemdiali ante festum S. P. Francisci (*Clemens XIV 24 Nov. 1772*, Ad augendam). Item in novemdiali ante festum Immaculatae Conceptionis B. Mariae V. *(Clemens XIII 17 Apr. 1764)*, et ubi novemdiales preces in Ecclesiis Ordinis nequeunt celebrari ante festum Immaculatae Conceptionis B. M. V., quia celebrantur ab aliis religiosis vel a clero saeculari, eaedem Indulgentiae lucrari possunt in octavario *(Clemens XIII 28 Aug. 1764)*. Item in novemdiali ante festum Nativitatis D. N. I. C., sed indulgentia plenaria lucratur in primo et ultimo dierum novemdialis (*Clemens XIV 23 Nov. 1772*, Cum sicut).

b) Indulgentiae partiales.

1. Christifideles universi, qui corde saltem contriti ac devote quamcumque ex Ordinis Ecclesiis visitaverint, indulgentiam *decem annorum totidemque quadragenarum* lucrari possunt: die anniversaria dedicationis uniuscuiusque ex praedictis Ecclesiis, necnon singulis diebus octavarum; item quoties tempore expositionis triduanae SS. Sacramenti ad instar XL Horarum, uti supra, Ecclesias Ordinis visitaverint *(Sum. Cap.)*.

2. Omnibus fidelibus qui corde saltem contrito ac devote Ecclesias Triun Ordinum visitaverint: *Decem annorum* in festis Titularium principalium cuiusque Ecclesiae Franciscanae et in Anniversario consecrationis eiusdem Ecclesiae; item tempore expositionis SSmi Sacramenti ad instar Quadraginta Horarum *(S. C. Indulg. 22 Aug. 1906)*.

In novemdiali ante festum S. Antonii de Padua, dummodo assistatur expositioni SS. Sacramenti, quae fit in Ecclesiis Ordinis. Indulgentia *centum dierum* in singulis diebus, excepto uno ad libitum in quo lucrari potest Indulgentia plenaria, ut dictum est Tit. IV, n. 4. *(Clemens XIV 23 Nov. 1772,* Ad augendam). Item in novemdiali ante festum S. Iosephi a Cupertino (*Clemens XIV 23 Nov. 1772,* Ad augendam). Item in novemdiali ante festum S. P. Francisci (*Clemens XIV 24 Nov. 1772,* Ad augendam). Item in novemdiali ante festum Immaculatae Conceptionis B. M. V. *(Clemens XIII 17 Apr. 1764)*, vel impedito novemdiali, ut Tit. IV. n. 4. dictum est, in octavario *(Clemens XIII 28 Aug. 1764)*. Item in novemdiali ante festum Nativitatis D. N. I. C.; sed indulgentia singulis die-

bus lucranda est *septem annorum et septem quadragenarum*, excepto primo et ultimo dierum novendialis, in quibus lucrari potest Indulgentia plenaria, ut Tit. IV. n. 4. dictum est (*Clemens XIV 23 Nov. 1772*, Cum sicut).

TITULUS QUINTUS.

Elenchus Indulgentiarum, quas Tertiarii lucrari possunt ob communicationem cum Primo et Secundo Ordine, iuxta Indultum Pii Pp. X die 5 Maii 1909 per Litteras « Sodalium e Tertio Ordine » concessum.

a) Absolutiones Generales.

1. Tertiarii, qui confessi ac S. Synaxi refecti, Absolutionem Generalem acceperint, et iuxta mentem Summi Pontificis oraverint, lucrantur Indulgentiam Plenariam, sequentibus diebus festis:

Nativitatis,
Circumcisionis,
Epiphaniae,
Paschatis Resurrectionis,
Ascensionis,
Pentecostes;
SS. Trinitatis;
Corporis Christi;
} D. N. I. C.;

Purificationis,
Annunciationis,
Visitationis,
Assumptionis,
Nativitatis,
Immaculatae Conceptionis,
Praesentationis
} B. Mariae V.;

SS. Apostolorum Petri et Pauli;

S. P. Francisci;
S. Clarae Virg. Assisiensis;
S. Catharinae Virg. et Mart.;
Omnium Sanctorum;
Singulis diebus Hebdomadae Maioris *(Sum. Cap.)*.

2. Absolutio Generalis impertiri potest Tertiariis etiam in sequentibus festis sub conditionibus ut supra:

Mysteriorum Viae Dolorosae D. N. I. C., Feria VI ante Dominicam Septuagesimae;

Septem Gaudiorum B. Mariae V., Dominica post Octavam Assumptionis B. Mariae V. *(S. C. Indulg., 13 Iun. 1906)*.

b) Aliae Indulgentiae Plenariae.

1. Tertiariis, primo ex uniuscuiusque mensis sabbatis non impedito, in quo celebratur in Ecclesiis Franciscalibus Missa votiva de Immaculata Conceptione vel Missa occurrentis Vigiliae, seu Festi, aut Octavae eiusdem Beatae Virginis, iuxta Rubricas, dummodo dictum Sacrum devote audierint, et confessi ac S. Synaxi refecti, ad mentem Summi Pontificis ibidem oraverint *(S. C. Indulg., 22 Aug. 1906)*.

2. Tertiariis, bis in mense, duobus scilicet cuiuslibet mensis diebus, ad arbitrium, in quibus confessi et S. Communione refecti aliquam Ecclesiam seu publicum Oratorium visitaverint, ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint *(Pius IX, 2 Iun. 1851)*.

TITULUS SEXTUS.

Explanationes quoad Indulgentias, quae a Tertiariis Franciscalibus lucrari possunt.

Quum praecedentibus Titulis Indulgentiarum Thesaurus pro Directorum Congregationum Tertii Ordinis commoditate, relatus fuerit, iuvat doctrinam catholicam de Indulgentiis et varia Sanctae Sedis Decreta subiicere, ut praefatus Thesaurus in fidelium utilitatem magis magisque innotescat.

Art. I.

De notione Indulgentiarum.

1. Postquam peccator conversus absolutus fuit a culpa, et remissa ipsi fuit poena aeterna, cui obnoxius erat ob peccatum mortale, plerumque remanet eidem peccatori obligatio satisfaciendi divinae iustitiae cum aliqua poena temporali luenda vel in hac vita vel in futura. - Item poena temporalis debetur pro quolibet peccato veniali, quae poena pariter in hac vel in futura vita luenda est. - Attamen Deus, cuius misericordiae non est numerus, statuit, ut ab istis poenis temporalibus Fideles Christiani vel totaliter aut partialiter liberari possint, tum in praesenti vita operibus satisfactoriis ab eisdem peractis, aut Sanctis Indulgentiis, quas Ecclesia, depositaria infiniti Thesauri superabundantium meritorum satisfactoriorum Iesu Christi et Sanctorum, per modum absolutionis ipsis Fidelibus concedit, et illi pro se lucrantur; tum post mortem applicatione earumdem Sanctarum Indulgentiarum Animabus Purgatorii facta per modum suf-

fragii. Nam Sancta Indulgentia non est aliud quam: *Remissio poenae temporalis Deo debitae, pro peccatis iam remissis quoad culpam, quam remissionem poenae temporalis ecclesiastica auctoritas Fidelibus concedit ex Thesauro meritorum satisfactoriorum Iesu Christi, B. Mariae Virginis et Sanctorum. (Raccolta di Orazioni e pie opere* per le quali sono state concesse dai Sommi Pontefici le SS. Indulgenze. *Est Opus authenticum de Indulgentiis, a S. Sede editum).*

2. Sanctae Indulgentiae aliae vocantur *Partiales,* videlicet aliquot dierum, aliquot quadragenarum aut plurium annorum etc.; aliae vocantur *Plenariae*, et inter istas aliquae sunt in forma *Iubilaei.*

Indulgentiis *Partialibus* dierum, quadragenarum, annorum etc., remittitur, ei qui has lucratur, *talis* quantitas illius poenae temporalis, quam deberet luere vel in praesenti vita vel in futura, *qualis* lueretur poenitentiis statutis per antiquos canones Ecclesiae, qui *Poenitentiales* vocantur, tot dierum, tot quadragenarum (nempe poenitentiis quadraginta dierum), tot annorum etc.

Indulgentiis *Plenariis* nobis remittitur totaliter poena temporalis, quam Deo debemus pro peccatis nostris licet hi remissi fuerint; ita ut, si post lucratam Indulgentiam Plenariam moreremur, recte coelum ingrederemur. Idem dicatur de sanctis Animabus in Purgatorio detentis, quando in eorum suffragium Indulgentia Plenaria a nobis lucratur, dummodo haec ipsis applicabilis sit, et dummodo divina Iustitia eam acceptare dignetur.

Indulgentia Plenaria *in forma Iubilaei* est idem *quoad effectum* ac Indulgentia Plenaria communis. At in Indulgentia Plenaria in forma Iubilaei con-

fertur insuper confessariis potestas iurisdictionis ad absolvendum a quibusdam casibus reservatis, ad dispensanda, seu commutanda, quaedam vota simplicia, etc.

3. Ex quibus omnibus infertur, quanti sint habendae Indulgentiae, qualisque ipsarum sit valor et efficacia, et quantae utilitatis spiritualis fidelibus sint. - Concilium Tridentinum *(Sess. XXV Decreto de Indulg.)* ad rem testatur: *Indulgentiarum usum christiano populo maxime salutarem esse:* ideoque quilibet Christifidelis sancte adniti debet ut Indulgentias quanto magis ipsi possibile erit lucretur tum ad propriam utilitatem spiritualem tum in suffragium fidelium Defunctorum.

Art. II.

De conditionibus requisitis ad quamlibet Indulgentiam lucrandam.

1. Ad quamlibet Indulgentiam lucrandam ante omnia necessarium est *ut fidelis sit in statu gratiae,* nempe ut anima ipsius immunis sit a peccato mortali; nam ille qui est coram Deo reus culpae et poenae aeternae, neque est, neque potest esse capax recipiendi remissionem poenae temporalis. Oporteret ergo qualibet vice incipere cum Confessione adimplementum operum, quae iniuncta sunt pro lucranda Indulgentia; aut saltem oportet ut ultimum talium operum in statu gratiae impleatur. — Cum Indulgentiae Partiales conceduntur, ut plurimum Confessio Sacramentalis non iniungitur, sed ponitur tantummodo haec clausula : *Corde saltem contrito;* ut per hoc indicetur, quod fidelis qui in statu peccati mortalis est, si praefatas Indulgentias Partiales lucrari desiderat, saltem ve-

rum contritionis actum elicere teneatur cum firm
proposito confitendi. *(S. C. Indulg. 17 Dec. 1876,*

2. Item necessaria est *intentio saltem generali lucrandi Sanctas Indulgentias.* Hinc optime agi qui quolibet mane intentionem renovat lucrand omnes et singulas Indulgentias quae poterunt ill die lucrari. Et quum plurimae Indulgentiae appl cari possint per modum suffragii Animabus sancti in Purgatorio detentis: optimum est si fiat etian alia intentio applicandi Indulgentiam in Defuncto rum levamen. Haec applicatio fieri potest vel pr una vel pro pluribus determinatis Animabus, ve in genere in favorem omnium Animarum, quae i Purgatorio detinentur.

3. Quum Ecclesia in aperiendo Thesauro San ctarum Indulgentiarum semper imposuerit Chr stifidelibus adimplementum alicuius boni operis cum determinatis circumstantiis temporis, loci e similium: hinc ad consecutionem Indulgentiarur necesse est, *ut personaliter* (nempe *per se, non pe alium*) *et devote fiant omnia opera iniuncta, servo tis conditionibus quoad tempus, modum, finem et* prout exprimitur in concessione Indulgentiarum Quod si aliquid ex operibus iniunctis vel totalite aut in parte notabili, vel ignoranter, aut negligen ter, sive ob impotentiam omittatur: si aliqua con ditio praescripta, puta temporis, loci etc., quall bet ex causa non servetur: Indulgentia non lucra tur: nisi commutatio ab auctoritate competent concedatur.

4. *Tempus utile* ad quamlibet Indulgentiam lu crandam, si in Indulto concessionis non determi netur, intelligitur integer cursus diei naturali seu *a media nocte ad mediam noctem (S. C. I dulg. 12 Ian. 1878).* At Pius Pp. X, ut dubiis, dil

cultatibus et controversiis occurratur, quae saepe exorta sunt, ac forsitan et deinceps oriri possent, circa temporis determinationem, quo Ecclesiae vel Oratorii visitatio institui valet, quum haec requiritur ad Indulgentias lucrandas alicui diei adnexas, benigne concessit, ut utile ad id tempus habeatur et sit, *non modo a media ad mediam noctem constituti diei, verum etiam a meridie diei praecedentis.* Hoc autem declaravit fore valiturum, tam pro Indulgentiis plenariis quam pro partialibus, semel in die aut toties quoties adquirendis, usque ad hunc diem concessis vel in posterum concedendis, quacumque demum sub loquutione tempus sive dies designetur. Sartis tectis manentibus de cetero clausulis et conditionibus, in singulis quibuslibet concessionibus appositis *(S. C. S. Off. 26 Ian. 1911).*

5. *Quoad modum Orationes pro consecutione Indulgentiarum iniunctas recitandi,* adnotandum est:

a) Licitum est, iuxta varia adiuncta, adhibere numerum singularem aut pluralem, genus masculinum aut femininum.

b) Qui cum aliis alternatim recitat preces Indulgentiis ditatas, ex. gr. Rosarium, Angelus Domini, lucrari potest Indulgentias quibus praefatae preces ditatae sunt *(S. C. Indulg. 29 Febr. 1820).*

c) Quocumque idiomate preces Indulgentiis ditatae recitentur, Indulgentiae earum recitationi adnexae lucrari possunt, dummodo versiones sint fideles. Ad probandam fidelitatem versionum sufficit declaratio unius ex Ordinariis loci, cuius propria est lingua, in qua orationis versio facta est *(S. C. Indulg. 29 Dec. 1864).*

d) Non est necesse ut genibus flexis recitentur preces, ad Indulgentias lucrandas imperatae, sive

agatur de Indulgentiis plenariis, sive de partia
libus; excepto si id exprimatur in documento con
cessionis *(S. C. Indulg. 18 Sept. 1862)*.

e) Licet uni eidemque rei, idest orationi, co
ronae, cruci etc. applicari possint variae Indu
gentiae, istae cumulatim nequeunt lucrari; sed pr
qualibet Indulgentia, opera iniuncta iteranda sun
nisi haec iterari nequeant, aut non soleant *(S. C
Indulg. 29 Febr. 1820 et 12 Ian. 1878)*. Ita ex. gr
si una corona benedicta fuerit pro application
Indulgentiarum SS. Rosarii et Indulgentiaru
S. Birgittae: ut praefatae Indulgentiae Rosarii e
S. Birgittae lucrentur, praeter coronae ordinaria
recitationem, addenda est recitatio coronae S. Bi
gittae.

6. Coronae et alia sacra obiecta Indulgentii
ditata non debent adhiberi nisi ab illis person
pro quibus Pontifex ea benedixit, et ab illis a
quorum usum prima vice distributa fuerunt. Ea
dem sacra obiecta et coronae nequeunt commoda
eo fine ut alii lucrentur Indulgentias ipsis adn
xas; quod si id fiat, praefatae Indulgentiae no
lucrarentur, et obiecta ac coronae amitterent In
dulgentias ac reducerentur ad instar obiectorum
coronarum quibus Indulgentiae adnexae non sun
(S. C. Indulg. 10 Ian. 1839).

7. Coronae et obiecta iam benedicta, *gratis* d
stribuenda sunt, ideoque nihil pro ipsis recipi p
test qua pretium aut qua compensatio; neque lic
tum est eadem permutare cum aliis licet similibu
obiectis *(S. C. Indulg. 16 Iul. 1887)*. Quod si al
quis, in fidelium commoditatem, curam sibi a
sumit ut praefatae coronae et sacra obiecta bene
cantur cum applicatione Indulgentiarum, neces
est (si vult ut pretium eorumdem sibi restituatu

ut antequam ea ut benedicantur tradat, commissionem habeat ab eo qui obiecta illa optat; hoc enim modo praefata obiecta retinenda erunt ut in antecessum ad determinatas personas pertinentia *(S. C. Indulg. 10 Iul. 1896)*.

8. *Surdo-muti*, qui impotentes sunt orationes vocales recitare: *a*) Si ad lucrandam Indulgentiam visitatio alicuius Ecclesiae exquiratur, eamdem devote visitare debent, elevando tamen ad Dominum mentem et pios affectus; *b*) Si inter opera iniuncta adsint preces publicae, ipsi praesentes sint cum ceteris fidelibus in loco in quo praefatae preces publicae funduntur, et elevent ad Deum mentem et cor; *c*) Si preces privatae iniungantur, commutationem in alia opera pia, aliquo modo externe peragenda, a propriis confessariis obtineant *(S. C. Indulg. 15 Mart. 1852)*.

Art. III.

De conditionibus quae ad Indulgentias Plenarias lucrandas requiruntur.

1. Conditio maximi momenti *ad Indulgentias Plenarias* lucrandas est: *detestari omnia peccata etiam venialia, et avellere se totaliter a quolibet affectu erga eadem peccata*. Haec conditio est absolute necessaria ad lucrandam Indulgentiam Plenariam *in tota sua plenitudine;* nam S. Alphonsus de Ligorio *(Theol. Mor. Lib. VI, T. IV, c. I a. II)* cum aliis Theologis docet: « Certum est quod peccatum veniale, nondum remissum quoad culpam, nequit remitti quoad poenam ». Hinc clarum est quod cum unico etiam peccato veniali (aut cum actuali affectu ad ipsum) nequeat lucrari *plene* Indulgentia Plenaria; quum ipsa in tota sua exten-

sione non aliud sit quam totalis et integra remissio poenae temporalis debitae pro omnibus et singulis peccatis iam remissis quoad culpam. Ex hoc patet quanti intersit ut fideles qui optant pro se ipsis lucrari Indulgentiam Plenariam excitent sese ad sincerum dolorem omnium peccatorum venialium.

2. Insuper ad Indulgentias Plenarias lucrandas, ut plurimum exquiruntur Confessio, Communio, visitatio Ecclesiae aut Oratorii publici, et piae preces.

§ 1. - *De Confessione et Communione.*

1. *Confessio* Sacramentalis, quando exquiritur in Brevi uti conditio ad lucrandam Plenariam Indulgentiam, facienda est etiam ab illis qui nullius culpae gravis sibi conscii sunt (*S. C. Indulg. 19 Mai. 1759*).

2. *Confessio* peragenda ad lucrandam Indulgentiam, si haec pluries eadem die sit concessa, tribus diebus immediate praecedentibus, sin vero semel in die sit concessa, duobus tantum integris diebus anticipari potest (*S. C. Indulg. 11 Mart. 1908*). Pro Indulgentia *Portiunculae* diei 2 Augusti *Confessio* permitti potest a die 30 Iulii (*S. C. Indulg. 14 Iul. 1894*).

3. Ad acquirendam Indulgentiam Plenariam in fine Missionum valet etiam *Confessio* peracta infra quinque ultimos dies (*S. C. Indulg. 28 Aug. 1907*).

4. Qui semel saltem in hebdomada (nempe post quemlibet decursum septem dierum *S. C. Indulg. 23 Nov. 1878 et 25 Febr. 1886*) ad *Confessionem* accedere, nisi legitime impediantur, consueverunt, et nullius lethalis culpae post ultimam Confessionem commissae sibi conscii sunt, omnes et quas-

cumque Indulgentias (infra hebdomadam occurrentes, non excepta Indulgentia Portiunculae, *S. C. Indulg. 12 Mart. 1855)* consequi possunt, etiam sine actuali Confessione, quae ceteroquin ad eas lucrandas necessaria esset; *exceptis Indulgentiis Iubilaei vel ad instar Iubilaei (Clemens XIII 9 Dec. 1763).* Imo concessum est ut Christifideles, qui in statu gratiae et cum recta piaque mente *quotidie* Sancta de Altari libare consuescunt, *quamvis semel aut iterum per Hebdomadam a Communione abstineant,* praefato Clementis XIII Indulto frui possint, absque hebdomadariae illius Confessionis obligatione *(Pius X, 14 Febr. 1906).*

5. *Communio,* quum pro Indulgentiis lucrandis uti conditio assignatur, etiam pridie diei, quo Indulgentia lucranda est, fieri potest *(S. C. Indulg. 6 Oct. 1870 et 11 Mart. 1908).* At Indulgentia nihilominus lucratur tantummodo ea die pro qua fuit concessa *(S. C. Indulg. 12 Ian. 1878).*

6. Cum *unica Communione* lucrari possunt plures Indulgentiae Plenariae eadem die, licet Communio pro singulis exigatur, dummodo reliquae conditiones adimpleantur *(S. C. Indulg. 29 Mai. 1841).*

7. Cum *Confessione* et *Communione* peractis die Paschatis Resurrectionis lucrari potest Indulgentia Plenaria adnexa Benedictioni Papali impartitae etiam ab Episcopo, et satisfit praecepto paschali *(S. C. Indulg. 19 Mart. 1841).* Cum *unica Communione* tempore paschali peracta, potest lucrari Indulgentia Plenaria, si eo die concessa sit, et adimpleri praeceptum paschale *(S. C. Indulg. 10 Mai. 1844).*

8. Licet Indulgentia esset localis, nempe de-

terminatae Ecclesiae adnexa, non est necessarium ut *Communio* fiat in dicta Ecclesia, dummodo talis conditio in Brevi vel Rescripto non imponatur *(S. C. Indulg. 19 Mai. 1759)*.

9. Si *Confessionem* et *Communionem*, pro consecutione Indulgentiarum, anticipare concessum sit, non eo ipso (nisi id exprimatur) alias conditiones anticipare conceditur *(S. C. Indulg. 12 Ian. 1878)*.

10. Ad lucrandam Plenariam Indulgentiam, quae concessa est pro exercitiis pietatis totius mensis vel novem vel in genere plurium dierum, praescripta *S. Confessio* et *Communio* fieri potest infra octo dies immediate post ultimam diem illorum piorum exercitiorum sequentes *(S. C. Indulg. 8 Dec. 1897)*. Et in casu, cum S. Confessio et Communio peragitur intra octo dies post finita exercitia pia, praescripta *oratio ad mentem Summi Pontificis* et *visitatio Ecclesiae* potest fieri uno ex diebus in quibus praefata pia exercitia (menstrua, novemdialia aut per plures dies) peraguntur; sed magis opportunum erit si oratio et visitatio praescriptae fiant eadem die, qua S. Confessio et Communio percipitur *(S. C. Indulg. 2 Iun. 1899)*.

11. Quando ad lucrandas Indulgentias Plenarias praescripta est *Communio* et *visitatio Ecclesiae*, omnes Christifideles habitualiter infirmi, chronici, ob physicum permanens aliquod impedimentum e domo egredi impotentes (exceptis iis qui in Communitate vivunt), eas consequi possunt, dummodo vere poenitentes, confessi, ac ceteris omnibus absolutis conditionibus, si quae iniunctae fuerint, loco S. Communionis et visitationis, alia pia opera, a respectivo Confessario iniungenda, fideliter adimpleant *(S. C. Indulg. 18 Sept. 1862)*.

Pro iis qui in Communitate et sub Regula vivunt, si sint infirmi et senio confecti, adest Indultum Leonis XIII diei 16 Ian. 1886.

12. Pro Indulgentia *Iubilaei sive ordinarii, sive extraordinarii,* exigitur *generatim specialis Confessio* et *Communio (S. C. Indulg. 10 Mai. 1844).*

§ II. - *De visitatione Ecclesiae et piis precibus.*

1. *Visitatio Ecclesiae seu publici Oratorii* significat accessum ad praefatum locum sacrum, ob motiva fidei et religionis cum intentione ibidem Deum honorandi vel directe vel in aliquo Sancto.

2. Ad lucrandas Indulgentias Plenarias tunc solummodo est necessaria dicta visitatio, quando in Indulto concessionis exigitur. Hinc si in Indulto determinetur Ecclesia, quae visitanda sit, ex. gr. Parochialis, necesse est ut visitatio in designata Ecclesia fiat, *excepta legitima commutatione (vide infra n. 19).* Quod si Ecclesia non designetur, visitatio fieri potest in qualibet Ecclesia aut Oratorio publico.

3. Non est Oratorium publicum, in ordine ad lucrandas Indulgentias, Oratorium canonice dicatum sive in Monasteriis, aut Seminariis vel in aliis Conventibus, ad quod non soleant fideles publice accedere *(S. C. Indulg. 22 Aug. 1842),* nisi habeatur speciale Indultum.

4. Visitatio Ecclesiae fieri potest tum ante tum post adimpleta alia opera pia, dummodo dicta visitatio fiat tempore ad Indulgentiam lucrandam determinato *(S. C. Indulg. 19 Mai. 1759).*

5. Qui intendit lucrari plures Indulgentias Plenarias eadem die occurrentes, pro quibus singulis visitatio imponatur, necesse est ut tot visitatio-

nes faciat, quot Indulgentias acquirere intendit; hinc oportet ut post quamlibet visitationem exeat ab Ecclesia, ibidem reversurus *(S. C. Indulg. 29 Febr. 1864)*.

6. *Piae preces* generatim ordinantur ad lucrandas Indulgentias Plenarias, et quandoque etiam ad lucrandas Partiales. Quando in Indulto concessionis iniungitur oratio *iuxta consuetos fines*, ordinarie intelligitur orandum esse pro Religionis Catholicae incremento, pro S. Matris Ecclesiae exaltatione, pro peccatorum conversione, pro christianorum Principum concordia et haeresum extirpatione. - *Non* exigitur *explicita* intentio istorum finium, sufficit enim orare iuxta intentionem Summi Pontificis *(S. C. Indulg. 12 Iul. 1847)*. - *Preces quae exiguntur in concessionibus Indulgentiarum iuxta intentionem Summi Pontificis, relinquuntur arbitrio cuiuslibet fidelis, dummodo praefatae preces taxative non determinentur (S. C. Indulg. 29 Mai. 1841)*. At nequit cum precibus alio ex capite obligatoriis (ex. gr. recitatione Horarum Canonicarum) satisfieri pro precibus iniunctis a Summo Pontifice ad Indulgentiarum consecutionem *(S. C. Indulg. 29 Mai. 1841)*. - Quoad *preces quae visitationi adnexae sunt* id servandum est, quod si ad lucrandam Indulgentiam iniungatur visitatio determinatae Ecclesiae et recitatio precum determinatarum in dicta Ecclesia facienda : praeter visitationem, debent ibidem recitari praefatae preces. Si quis autem optat eadem die lucrari plures Indulgentias Plenarias, pro quarum singulis iniungitur visitatio cum determinatis precibus, eo in casu visitationes repetendo, toties etiam debet iterare preces, quot Indulgentias lucrari optat.

7. Qui eadem die S. Communionem sumunt in

Ecclesia, quae visitanda iniungitur, ibique ad Deum elevant devotas preces, eo ipso satisfaciunt obligationi Communionis, visitationis et piarum precum, quae pro consecutione Indulgentiae Plenariae iniunguntur.

8. Tempus utile, quo Ecclesiae vel Oratorii visitatio institui valet, quum haec requiritur ad Indulgentias lucrandas alicui diei adnexas, non solum a media nocte ad mediam noctem constituti diei computandum est, verum etiam a meridie diei praecedentis *(S. C. S. Off. 26 Ian. 1911)*.

9. S. Congr. Indulg. die 7 Mart. 1678 statuit: *semel dumtaxat in die Plenariam Indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus, lucrifieri.* - Ab hac regula generali excipitur Indulgentia Portiunculae, et quaedam aliae. - At possunt lucrari eodem die plures Indulgentiae Plenariae, si istae concessae fuerint distinctis operibus pietatis.

10. *Indulgentia plenaria quotidiana* concessa pro visitatione alicuius Ecclesiae aut Oratorii publici potest lucrari *semel tantum in anno* a quolibet fideli, excepto tantummodo si in concessione clare et explicite exprimatur, quod dicta Indulgentia vere lucrari potest a singulis fidelibus quolibet die *(S. C. Indulg. 16 Febr. 1852)*.

11. Qui nomen dedit pluribus Confraternitatibus, quae gaudent Indulto lucrandi Indulgentias, quas stationales appellant, eas lucrari non valent tot vicibus, quot sunt Sodalitates quibus est adscriptus, sed iuxta Decr. 7 Mart. 1678 *(vide praeced. n. 9)*.

12. Quando conceditur Plenaria Indulgentia pro festo alicuius Sancti, lucranda a Christifidelibus in omnibus Ecclesiis alicuius Ordinis, vel

alicuius Dioeceseos, haec Indulgentia acquiri potest tot vicibus, quot visitantur Ecclesiae eiusdem Ordinis aut Dioeceseos, id est acquiri potest Indulgentia una vice tantum, sed in singulis Ecclesiis eiusdem Ordinis aut Dioeceseos. Item, cum diversi Ordines, ex. gr. Benedictini, Franciscani etc. pro uno vel altero festo gaudent Plenaria Indulgentia, tributa Christifidelibus visitantibus proprias Ecclesias: acquiri potest Indulgentia una vice tantum, sed in singulis Ecclesiis eiusdem Ordinis *(S. C. Indulg. 13 Sept. 1905)*.

13. Quando ad Indulgentias lucrandas praescribitur visitatio Ecclesiae parochialis, haec debet esse Ecclesia parochialis propria illius, qui vult Indulgentias lucrari, non vero alia quaecumque. Sub nomine Ecclesiae parochialis propriae non venit tantummodo illa domicilii, sed etiam quasi domicilii aut morae transitoriae, uti contingit tempore itineris *(S. C. Indulg. 13 Sept. 1905)*.

14. Quando festum Beatorum Ordinis S. Francisci celebratur a variis Familiis Franciscalibus, non tamen eodem die sed diverso: poterunt Tertiarii saeculares, pro lubito, Indulgentiam eidem festo adnexam lucrari die *in proprio Indulgentiarum summario* designato, vel die quo festum recolitur ab ea Familia cui ipsi subsunt: ita tamen, ut semel tantum a singulis Indulgentia adquiri possit. Idem dicatur de Tertiariis iisdem, si eorum Sodalitas erecta est in ecclesiis Franciscanis quae festa Beatorum impedita in aliam perpetuo diem translatam celebrant. Tertiarii tamen, qui Ecclesiam ubi Sodalitas erecta sit non habere possunt, ideoque valent Indulgentiam eiusmodi in qualibet Ecclesia Franciscali promereri, non possunt pluries eamdem Indulgentiam adquirere, si festa in

diversis Ecclesiis diverso die fixe recolantur *(S. C. Indulg. 13 Iun. 1912 ad IV, V, et VI).*

15. Translato *tantum* festo *per accidens,* idest, tantum quoad Officium et Missam, non autem quoad solemnitatem et exteriorem celebrationem festi, non transfertur Indulgentia festivitati adnexa *(S. C. Indulg. 16 Sept. 1714 et 9 Aug. 1852).*

16. Omnes vero Indulgentiae quibusdam festis concessae, et quae concedentur, vel etiam si libuerit, de consensu Ordinarii, illae concessae in sacris supplicationibus, aut in novemdialibus, vel eius octavario perdurante, translatae intelligantur pro eo die, quo festa huiusmodi quoad solemnitatem tantum et externam celebrationem, non vero quoad Officium et Missam in aliquibus locis, vel Ecclesiis publicisque Oratoriis, sive in perpetuum sive aliqua occasione, sive ad tempus, eoque durante; legitime transferantur *(S. C. Indulg. 9 Aug. 1852 et 18 Sept. 1862).*

17. Translato festo in perpetuum et perpetuo ad aliam diem, sive ex speciali decreto SS. RR. C., sive ex praescripto rubricarum assignato, simul ad eamdem diem iterum festo assignatam transfertur Indulgentia eidem festo concessa, licet festum celebretur sine solemnitate et publica functione. - Eadem Indulgentiae translatio fiat tam in casu quo translatio perpetua festi sit pro toto Ordine, quam in casu perpetuae translationis festi pro sola regulari Provincia. - Cum festum assignatum est ad quamdam diem pro Provincia et in aliqua Dioecesi, vel in aliquo Coenobio ob occurrentiam alterius festi praeferendi translatum sit et perpetuo assignatum ad aliam diem, Indulgentia festo tributa adscribenda est pro singulis Coenobiis ad diem, quo unum quodque festum cele-

brat, vel potius est retinenda tamquam lucrabilis in omnibus Coenobiis eadem die assignata pro Provincia, dummodo tamen exceptio non sit facienda ratione solemnitatis vel externae publicae celebrationis: et Indulgentia semel tantum a singulis acquiri potest. - Quando aliquod festum ex novo Indulto Kalendario adiungendum, eo quod impediatur die propria, ad sequentem diem liberam transferri et assignari debet, si ei concessa sit Indulgentia: haec adscribenda est diei, quo festum assignatur fixe in Provincia, et quoad omnia Provinciae Coenobia, quamvis non in omnibus festum eadem die locum habeat: et Indulgentia semel tantum a singulis acquiri potest. - Indulgentiae tributae alicui festo pro universis fidelibus cum conditione visitandi Ecclesias determinatas Regularium, lucrari possunt ab omnibus Christifidelibus, etiamsi eiusdem festi celebratio cum Indulgentia alia die in Dioecesi locum habeat; et Indulgentia semel tantum a singulis acquiri potest *(S. C. Indulg. 12 Ian. 1878)*.

18. Translato *in perpetuum* festo alicuius Beati quod externa solemnitate non gaudet, transfertur quoque Indulgentia concessa Ecclesiae Ordinis regularis in casu tantum quo huiusmodi Indulgentia concessa sit intuitu Beati eiusque expresso nomine, non vero in casu quo non fuerit concessa intuitu Beati, idest non eius expresso nomine, sed tantum affixa diei qua eius festum celebratur *(S. C. S. Off. 13 Iun. 1912 ad I)*. - In festo alicuius Beati, quod externa solemnitate non gaudet, tam si pro universo Ordine, quam si pro aliqua tantum regulari Provincia vel singulari Conventu peragatur, translatio vel non translatio Indulgentiae dirigitur a praefato Decreto 12 Ian. 1878 *(num. prae-*

ced. 17), dummodo tamen Indulgentia concessa sit intuitu Beati, eiusque expresso nomine *(S. C. S. Off. 13 Iun. 1912 ad II).* - Translatio autem Indulgentiae locum non habet, si reposito in aliam diem fixe festo Beatorum, eorum solemnitas externa in antiquo die, ut ante Officii repositionem perpetuam, affixa perseveret in populo; iuxta Decr. S. C. Indulg. 9 Aug. 1852 *(num. praeced. 15), (S. C. Indulg. 13 Iun. 1912 ad III).*

19. Confratres et consorores cuiuscumque Confraternitatis, seu Sodalitii aut Congregationis dummodo sit auctoritate Ordinaria erecta, aliqua corporis infirmitate laborantes, vel carceribus detenti, omnibus et singulis Indulgentiis, quibus gaudent ceteri confratres et consorores, gaudere possunt et valent, ita tamen ut omissa visitatione Ecclesiae, alia pia opera iniuncta, quae pro viribus peragere poterunt, fideliter ac devote exequantur *(Clemens XIII, 2 Aug. 1760). Hoc extenditur ad alia legitima impedimenta, iudicio discreti Confessarii dignoscenda, commutato tamen ab eodem Confessario opere iniuncto (S. C. Indulg. 16 Iul. 1887).*

20. Tertiarii saeculares qui degunt in Seminariis, Collegiis, Hospitalibus, Carceribus, aliisque similibus domibus, quae semipublicum habent Oratorium, Indulgentias acquirere possunt, dummodo moraliter sint impediti, illud visitando, loco visitandi Ecclesiam parochialem, vel Ordinis, vel illam in qua erecta est Sodalitas aut Oratorium publicum Tertii Ordinis *(S. C. Indulg. 18 Iul. 1902).*

21. Fideles utriusque sexus, qui perfectionis studio vel institutionis seu educationis, aut etiam valetudinis causa in domibus Ecclesia vel publico

Sacello carentibus, de consensu vero Ordinariorum constitutis, vitam communem agunt, necnon personae omnes ad illis ministrandum ibidem commorantes, quoties ad lucrandas Indulgentias praescribatur visitatio alicuius Ecclesiae in genere, idest non determinatae, vel indeterminati alicuius publici Oratorii, visitare valent propriae domus Sacellum, in quo obligationi audiendi Sacrum iure satisfacere possunt, dummodo cetera opera iniuncta rite praestiterint *(S. C. S. Off. 14 Ian. 1909)*.

22. Omnes Christifideles visitantes aliquam ex Ecclesiis Provinciarum Italiae, in quibus a Religiosis Primi Ordinis Franciscalis Divina Officia seu Sacramenta administrantur, inibi lucrari valent omnes et singulas Indulgentias, quas consequerentur, si Ecclesias Ordinis visitarent, ceteris servatis de iure servandis *(Sum. Cap.)*.

23. In residentiis Missionum Primi Ordinis Franciscalis Ecclesiae et Oratoria publica, dummodo sint fixa, et ad ea fideles, ad Sacrum audiendum et ad recipienda Sacramenta, accedant, gaudent Indulgentiis, quae Ecclesiis Ordinis concessae sunt *(Sum. Cap.)*.

24. In locis Missionum Provinciarum ultra montes, ubi Fratres Primi Ordinis Franciscalis proprias Ecclesias non habent, Ecclesiae saecularium, in quibus Religiosi Ordinis functiones Missionariorum peragunt, Indulgentiis Ecclesiarum Ordinis gaudent *(Sum. Cap.)*.

25. Quoad visitationem Ecclesiae ad lucrandam Indulgentiam Plenariam concessam pro exercitiis pietatis totius mensis vel novem aut in genere plurium dierum; item de commutatione visitationis ad Indulgentias Plenarias lucrandas a Christifidelibus habitualiter infirmis, chronicis, ol

physicum permanens aliquod impedimentum e domo egredi impotentes, vide praecedentem § I nn. 10 et 11.

Art. IV.

De Precibus Tertiariorum, ac de Indulgentiis pro Corona Franciscana et pro sex Pater, Ave *et* Gloria.

1. Tertiarii saeculares Franciscani, recitantes, loco Horarum canonicarum, duodecies *Pater, Ave* et *Gloria,* non possunt, hac tantummodo recitatione, omnibus aliis obligationibus, quod preces attinet, satisfacere, quas ex adscriptione ad alias pias Sodalitates contraxerint *(S. Congr. S. Off., Sectio de Indulg., 12 Iun. 1913).*

2. Corona Septem Gaudiorum B. M. V. in Ordine Seraphico ditata est Indulgentia Plenaria, et ad effectum lucrandi dictam Indulgentiam necesse non est (pro Franciscanis) ut praefatae Coronae benedicantur *(S. C. Indulg. 29 Aug. 1864)* neque necessaria est Confessio. Communio aut alia conditio *(Vide Summar. Indulg. Cap. I n. VII p. 79).*

3. Sodales Tertiarii Ordinis S. Francisci Assisinatis lucrifaciunt stationes, indulgentias, remissiones tum Urbis, tum etiam Portiunculae, sive Ierusalem et S. Iacobi in Compostella, recitando *sex Pater, Ave* et *Gloria,* scilicet quinque pro felici statu S. Matris Ecclesiae, sextum autem pro intentione Summi Pontificis concedentis; et praefatas Indulgentias lucrantur toties quoties, et in quocumque loco preces ipsas fuderint, servato tamen Decreto S. Congr. 7 Martii 1678 approbato ab Innocentio XI, quod inter alia haec habet: « *Indulgentias vero Stationum Urbis, quae a Romanis Pontificibus singulari quodam beneficio vel com-*

municatae sunt, vel communicabuntur interdum aliquibus locis, Ordinibus, aut personis, diebus tantum Stationum in Missali Romano descriptis suffragari posse declarat: semel autem dumtaxat in die Plenariam Indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus, lucrifieri ». Ad easdem lucrandas Indulgentias recitare sufficit sex tantum *Pater, Ave* et *Gloria,* ita ut necesse minime sit alias preces addere, prouti in Indulgentiarum concessionibus atque Rescriptis orandi per aliquod temporis spatium iuxta intentionem Pontificis, seu pro haeresum extirpatione, exaltatione S. Matris Ecclesiae, atque christianorum Principum pace et concordia etc. iniungi consuetum est. Ad has Indulgentias pro sex *Pater* etc. consequendas, necessaria non est Sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae susceptio; et istae Indulgentiae etiam Defunctis applicabiles sunt *(S. C. Indulg. 14 Apr. 1856. Vide Summar. Indulg. Cap. I n. VI p. 79).*

Art. V.

De Benedictione Papali et Absolutione Generali.

1. *Benedictio Papalis* est Benedictio quae datur una cum adnexa Indulgentia Plenaria in solemnioribus anni diebus vel circumstantiis a Romano Pontifice vel ab alio ex eiusdem delegatione, in nomine et persona Papae. Datur *in nomine et persona Papae,* ut distinguatur ab aliis Benedictionibus, ut puta in articulo mortis, in fine Missionum, quae dici et ipsae possunt Papales, sed tantum modo quia dantur ex delegatione Papae et ratione Indulgentiae Plenariae adnexae.

2. Leo Pp. XIII Brevi *Quo universi* die 7 Iul. 1882 statuit, ut Regularibus et Tertiariis *Benedictio nomine Summi Pontificis* impertiatur cum formula approbata in Litteris Encyclicis Benedicti Pp. XIV *Exemplis Praedecessorum* 19 Mart. 1748, sed nonnisi *bis in anno*, et sub conditione, quod haec Benedictio *numquam detur eodem die et eodem loco ubi Episcopus* eam impertiat. Conditiones ad lucrandam Indulgentiam Plenariam adnexam Benedictioni Papali sunt: Confessio, Communio et oratio ad mentem Summi Pontificis.

3. Benedictus Pp. XIV praefatis Encyclicis Litteris haec statuit: « Admoneatur populus de Indulgentia a Sede Apostolica concessa, de praeceptis operibus pro ea lucrifacienda, de die quo visitanda est designata Ecclesia, de hora denique qua dabitur Pontificia Benedictio. De quibus quatenus opus sit, etiam schedis impressis, et consuetis locis palam affixis, certior fiat. Postquam statutis die et hora populus ad Ecclesiam convenerit, alta voce legantur Apostolicae Litterae, seu Decreta, quibus Indulgentia conceditur, una cum potestate Benedictionem Apostolicam super populum effundendi, ut de delegatione audientibus constet; et concessio ex latino sermone in vulgarem accommodatum ad populi intelligentiam conversa pronuntietur. Populus ad suorum scelerum detestationem pio breviique sermone excitetur ». Post haec adhibeatur formula quae ponitur infra in Caerem. Artic. VIII.

4. Benedictio Papalis non singulis seorsim Tertiariis, sed adunatae Congregationi *semel* (non pluries in die) danda est.

5. Tertiariis saecularibus S. Francisci degentibus in locis, *ubi nulla adest eorumdem Tertiariorum constituta Congregatio,* concessa est facul-

tas recipiendi bis in anno, loco Benedictionis Papalis, duas alias Absolutiones Generales. At si praedicti Tertiarii *plures* sint in loco, ubi Sodalitium non reperitur erectum, recipere possunt bis in anno Benedictionem Papalem a Sacerdote debita facultate praedito; dummodo praefata Benedictio non impertiatur singulis, sed multitudini, nempe pluribus simul.

6. *Absolutio Generalis* est Benedictio cum adnexa Plenaria Indulgentia. Leo Pp. XIII Brevi *Quo universi* die 7 Iul. 1882 statuit ut pro Tertiariis saecularibus Benedictio cum Indulgentia Plenaria impertiatur cum formula *Intret oratio mea* etc. ut infra in Caerem. Artic. IX. Conditiones ad lucrandam Indulgentiam Plenariam praefatae Benedictioni adnexam sunt: Confessio, Communio et oratio ad mentem Summi Pontificis. Sed si praefata *Absolutio* recipiatur immediate post Confessionem, ut infra dicetur nn. 7 et 9, *suspensa remanet* usque dum poenitens ad Communionem non accesserit, quando eadem Communio est ultimum ex operibus iniunctis ad Indulgentiam Plenariam lucrandam.

7. Absolutio Generalis Tertiariis impertiri potest, *in die pro Absolutione assignata*, tum extra confessionale tum in confessionali. Extra confessionale impertiri potest tantummodo a Sacerdote facultatem habente, quoties adsunt Tertiarii ad eamdem Absolutionem recipiendam; quo in casu adhibenda est formula integra: *Intret*. In confessionali vero, immediate post Sacramentalem Confessionem, largiri potest ab uniuscuiusque Tertiarii Confessario *(S. C. Indulg. 10 Iun. 1886 ad III)*. et adhibenda est formula brevis, vel etiam brevissima prout in Caeremoniali indicatur, infra Articulo IX.

Idem respective servetur quando Tertiariis eadem Absolutio datur extra confessionale vel in confessionali infra Octiduum iuxta Indulta in Summario Tertiariorum supra relata Cap. V, nn. 1 et 5, *p. 82.* Notandum autem est, a S. Congr. Indulg. die 16 Ianuarii 1886 concessum fuisse Indultum, quo Tertiarii saeculares S. Francisci, legitime impediti quominus Ecclesiam adeant, Absolutionem Generalem, diebus assignatis, qui profesti *(festa suppressa)* sunt, accepturi, eam accipere valent die festo de praecepto, qui intra octiduum eorum profestorum dierum occurrat; quod Indultum extenditur pro iisdem Tertiariis etiam ad Absolutiones Generales, quas ipsi vi communicationis Indulgentiarum cum Primo et Secundo Ordine lucrari valent *(S. Congr. S. Off. 12 Iun. 1913).*

8. Director Tertii Ordinis vel Sacerdos facultate praeditus, qui Tertiariis saecularibus congregatis Benedictionem cum Indulgentia Plenaria, sic dictam Absolutionem Generalem impertitur, utatur stola coloris violacei *(SS. Rit. Congr. 22 Dec. 1905 n. 4176).*

9. Quum Tertiariis concessum sit *(ex Rescr. S. Congr. Indulg. 21 Iul. 1888)* ut novem Absolutiones Generales, ipsis directe concessas, possint recipere *pridie festi,* non tamen publice sed privatim tantummodo, nempe post expletam Sacramentalem Confessionem, caeteris tamen de iure servandis, adimpletis: dicta clausula « *privatim nempe post expletam Sacramentalem Confessionem* » intelligi debet, ut Absolutio Generalis nonnisi in loco, in quo auditur Confessio Sacramentalis, dari debeat *(S. C. Indulg. 30 Ian. 1896 ad I).* Iidem Tertiarii Absolutionem Generalem pridie festi, post expletam Sacramentalem Confessionem,

recipere valent etiam pro diebus, quibus Absolutio Generalis ipsis concessa est vi communicationis Indulgentiarum cum Primo et Secundo Ordine *(S. Congr. S. Off. 12 Iun. 1913).*

10. *Benedictiones nomine Summi Pontificis,* et *Benedictiones cum Plenaria Indulgentia* (Absolutiones Generales nuncupatae) *publice* impertiendae dari debent ab ecclesiastico viro, qui Tertiariis in id coadunatis praeest *(S. C. Indulg. 10 Iun. 1886 ad 3);* dummodo tamen ecclesiasticus vir *legitime praesit,* nempe si sit vel Director aut Visitator, vel Superior Generalis, Provincialis aut localis Primi vel Tertii Ordinis Regularis S. Francisci, aut Delegatus a Superiore Generali, Provinciali aut locali. Directores et Visitatores nequeunt *per se* ad praefatas Benedictiones impertiendas alios Sacerdotes subdelegare, nisi eis subdelegandi facultas concessa fuerit, vel nisi agatur de Sacerdote iam debita facultate munito eas impertiendi *(Moccheggiani* Collect. Indulgen. nn. 1579, 1580, 1581).

11. Beneficio Benedictionis Papalis et Benedictionis cum Indulgentia Plenaria gaudent Tertiarii illi, qui diebus statutis eas publice recipiunt non a Directore propriae Congregationis, sed a Directore alterius Congregationis Tertiariorum, quae obedientiae alterius Familiae Franciscani Ordinis subest *(S. C. Indulg. 30 Ian. 1896).*

12. Quoties Tertiarii ad Generalem Absolutionem seu Papalem Benedictionem statutis diebus recipiendam una simul convenerint, et Sacerdos, cuius est illam impertiri, quacumque ex causa abfuerit, eamdem Absolutionem seu Benedictionem accipere possunt a quolibet Sacerdote, sive saeculari, sive regulari, qui ad Sacramentales Confes-

siones audiendas sit approbatus *(S. C. S. Off. 15 Dec. 1910)*.

13. Sacerdotes Tertii Ordinis saecularis Sancti Francisci, qui suis muneribus Sacerdotalibus impediti sunt, quominus assignatis diebus Ecclesiam vel Oratorium adire valeant ad recipiendam Benedictionem Papalem, vel Absolutiones Generales cum adnexa Indulgentia Plenaria, praefato Ordini concessas, easdem recipere possunt quocumque die inter festi Octiduum occurrente *(S. C. Indulg. 11 Febr. 1903)*.

14. Sacerdotes Tertiarii deputati ad moderandam aliquam ex Congregationibus Tertii Ordinis saecularis S. Francisci, qui legitime impediuntur, quominus, statutis diebus, recipere valeant ab alio Sacerdote Generalem Absolutionem seu Papalem Benedictionem cum adnexa Plenaria Indulgentia, lucrari eam possunt in ipso actu, quo Tertiariis sibi subditis Absolutionem aut Benedictionem Papalem impertiuntur, dummodo sint rite dispositi, eaque praestiterint pia opera, quae praescripta sunt *(S. C. Indulg. 14 Iul. 1900)*.

15. Sacerdos Primi Ordinis Franciscalis et Sacerdos Tertii Ordinis saecularis, qui debitis facultatibus a Superiore Ordinis Seraphici vel ab Episcopo Dioecesano muniuntur, ad impertiendam Absolutionem Generalem Monialibus eis *respective* subiectis; in actu impertiendi praefatam Absolutionem, dummodo sint rite dispositi, etiam ipsi gratias Absolutioni Generali, quam in proprio Primo vel Tertio Ordine ea die accipere possunt, lucrantur *(S. C. Indulg. 18 Iun. 1876)*. Idem dicatur de sacerdote Primi Ordinis qui Absolutionem Generalem Tertiariis saecularibus largitur.

16. Sacerdos Tertii Ordinis saecularis ab Or-

dinario deputatus ad impertiendam Benedictionem Papalem Monialibus Episcopo subiectis : etiam ipse, dum Benedictionem praefatam Monialibus impertitur, gratias eidem Benedictioni adnexas, dummodo sit rite dispositus, lucratur.

Art. VI.

De Absolutione « in articulo mortis ».

1. Indulgentia in articulo mortis est : *Indulgentia Plenaria acquirenda in vero articulo mortis.* Articulus *verus* est ille, post quem sequitur immediate mors; articulus *praesumptus* est, quum infirmus medicorum iudicio creditur brevi moriturus, sed vel ex causa naturali, vel ope divina ex eo periculo contra spem evadit. Iamvero Indulgentia acquiritur in articulo *vero* seu in extremo vitae momento.

2. Leo Pp. XIII per suum Breve *Quo universi* die 7 Iul. 1882 statuit ut pro Absolutione in articulo mortis Regularibus et Tertiariis impertienda retineatur formula praescripta a Bened. Pp. XIV in Bulla *Pia Mater* diei 5 Apr. 1747, addito tantum ad *Confiteor* nomine sancti proprii Fundatoris. Formula adest infra in Caerem. Artic. X; et si infirmus sit morti proximus, adhibeatur formula brevior, et si mors immineat, formula brevissima, prout ibidem indicatur.

3. Haec Absolutio Tertiariis impertienda est a Directore vel a Confessario quocumque approbato, a Tertiario vocato.

4. Formula praefata adhibenda est ad validitatem *(S. C. Indulg. 5 Febr. 1841);* et *unica vice* in eodem morbi statu conferatur, nempe permanente eadem infirmitate, etsi diuturna : inutile est

enim repetere Benedictionem, cum prima suum effectum non consequatur nisi in vero articulo mortis; quod si infirmus convaluerit ac deinde quacumque ex causa in novum mortis periculum incidat, potest ei denuo conferri *(S. C. Indulg. 24 Sept. 1838)*. Non licet iterare eamdem Benedictionem, etsi infirmus relapsus sit in peccatum *(S. C. Indulg. 20 Jun. 1837)*; status enim gratiae requiritur pro momento in quo Indulgentia lucratur, nempe pro articulo mortis.

5. Si infirmus ius habet recipiendi Benedictionem in articulo mortis ex pluribus titulis, si ex. gr. adscriptus est non solum Tertio Ordini, sed et variis Confraternitatibus: non videtur improbandum si petat Benedictionem ex his variis titulis, non ex intentione pluries lucrifaciendi Indulgentiam, quod contrarium est Decretis, sed ad effectum securiorem reddendum, si puta aliquis titulus quavis ex causa nullus esset; ceterum haec multiplicata Benedictio etsi nihil conferret ad Indulgentiam, multum tamen confert ad excitandos pios affectus, et proinde ad procurandam dispositionem, sine qua ad nihilum evaderet Indulgentiae largitio (*Melata,* Manuale de Indulgentiis).

6. Ut infirmo Benedictio in articulo mortis impertiri possit, vel quia Tertiarius est vel ex alio titulo, requiritur: *a*) ut sit in periculo mortis, licet non imminenti *(S. C. Indulg. 19 Dec. 1885)*; *b*) ut non sit excommunicatus, impoenitens et in manifesto peccato mortali (Bulla *Pia Mater*); concedi tamen potest tum valide tum licite iis, qui etiam culpabiliter non fuerunt ab incoepto morbo Sacramentis refecti, subitoque vergunt ad interitum *(S. C. Indulg. 23 Sept. 1775)*; *c*) ut Deo se paratum offerat ad ultro acceptandum quidquid

ei placuerit, et mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem poenarum quas peccando promeruit (Bulla *Pia Mater*); *d*) ut quamdiu aegrotus suae mentis est compos invocet saltem mente SS. Nomen Iesu *(S. C. Indulg. 23 Sept. 1775); e*) ut sit in statu gratiae dum supremum exhalat spiritum, prout patet.

7. Ut Tertiarii Indulgentiam Plenariam in articulo mortis lucrentur, non est necessarium ut praefatam Benedictionem in articulo mortis accipiant; nam Leo Pp. XIII Constitutione « *Misericors* » die 30 Maii 1883 concessit Indulgentiam Plenariam Tertiariis morituris, si vere poenitentes, confessi ac S. Synaxi refecti, vel saltem contriti, SSmum Iesu nomen ore, si potuerint, sin minus corde, devote invocaverint.

8. Romanus Pontifex saepe Indulgentiam Plenariam in articulo mortis favore alicuius personae vel familiae concedit sive *Rescripto* sive etiam *vivae vocis oraculo*, cum ex. gr. Benedictio cum Indulgentia in articulo mortis pro moribundo postulatur atque transmittitur mediante telegrapho. In his concessionibus, si praescribantur conditiones, servandae sunt; si vero nullae sunt conditiones praescriptae, licet ex S. C. Indulg. Decr. 23 Apr. 1675 videretur nihil esse servandum, tamen attenta praxi universali et constanti Romanorum Pontificum, videtur etiam in hoc casu, praesertim si Indulgentia concedatur in *forma Ecclesiae consueta*, servandam esse conditionem invocationis SS. Nominis Iesu, si non sit possibile *ore*, saltem *mentaliter*, dummodo, cum Indulgentia conceditur, moribundus sit compos sui (*Melata*, Manuale de Indulgentiis).

PARS TERTIA

DE SACRIS ACTIONIBUS IN TERTIO ORDINE SAECULARI S. FRANCISCI ASSISIENSIS

TITULUS UNICUS.

Caeremoniale Tertii Ordinis Sancti Francisci.

Hoc Caeremoniale fuit pro Tertio Ordine saeculari S. P. Francisci approbatum a SS. Rituum Congregatione die 18 Iunii 1883.

Art. I.

Preces pro Congregationibus mense quolibet aliove tempore celebrandis.

1. - *Initio Congregationis.*

Veni, Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende.

Sub tuum praesidium confugimus, Sancta Dei Genitrix: nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris; sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta.

Respice, Beate Pater Francisce, de excelso caelorum habitaculo, et deprecare pro populo tuo, populo quem elegisti, ut serviat coram te omni tempore in ministerio Domini.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, *secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Memor esto Congregationis tuae.
℟. Quam possedisti ab initio.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Mentes nostras, quaesumus Domine lumine tuae claritatis illustra, ut videre possimus quae agenda sunt, et quae recta sunt agere valeamus. Per Christum Dominum nostrum.
℟. Amen.

Pro Congregatione solemni et Visitatione, loco Veni, Sancte Spiritus, *cantatur:*

Veni Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia,
Quae tu creasti pectora.

Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, charitas,
Et spiritalis unctio.

Tu septiformis munere,
Digitus paternae dexterae,
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus,
Ductore sic te praevio
Vitemus omne noxium.

Per te sciamus, da Patrem,
Noscamus atque Filium,
Teque utriusque Spiritum,
Credamus omni tempore.

Deo Patri sit gloria,
Et Filio qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In saeculorum saecula. Amen.

℣. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur.
℟. Et renovabis faciem terrae.

Oremus.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti; da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de eius semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum.
℟. Amen.

2. - *In fine Congregationis.*

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, *secreto.*
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.
℟. A templo sancto tuo, quod est in Ierusalem.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Praesta nobis, quaesumus Domine, auxilium gratiae tuae, ut quae, te auctore, facienda cognovimus, te adiuvante, implere valeamus.

Agimus tibi gratias, omnipotens Deus, pro universis beneficiis tuis. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

℟. Amen.

℣. Oremus pro benefactoribus nostris.

℟. Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam aeternam. Amen.

Antiph. Si iniquitates.

Psalm. De profundis clamavi ad te, Domine: Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes: in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris, Domine: Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo eius: speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem: speret Israël in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israël, ex omnibus iniquitatibus eius.

Requiem aeternam dona eis, Domine.

Et lux perpetua luceat eis.

Antiph. Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit?

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster, *secreto*.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. A porta inferi.
℟. Erue, Domine, animas eorum.
℣. Requiescant in pace.
℟. Amen.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, veniae largitor, et humanae salutis amator, quaesumus clementiam tuam, ut nostrae Congregationis Fratres, propinquos et benefactores, qui ex hoc saeculo transierunt, Beata Maria semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas.

Fidelium, Deus, omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

℟. Amen.
℣. Requiem aeternam dona eis, Domine.
℟. Et lux perpetua luceat eis.
℣. Requiescant in pace.
℟. Amen.

Art. II.

Ordo recipiendi ad habitum.

Incepta Congregatione, Sacerdos superpelliceo et stola alba indutus, in suppedaneo altaris stans aut sedens, Postulantem genuflexum interrogat:

Quid postulas?

Respondet ille:

Reverende Pater, ego humiliter postulo habitum Tertii Ordinis de Poenitentia, ut cum eo salutem aeternam facilius consequi valeam.

Tunc Sacerdos ait: Deo gratias, *et brevissimam addit exhortationem, laudans tale propositum, quod ostensa excellentia et efficacitate Tertii Ordinis confirmat; deinde ad altare convertitur, et indumenta benedicens ait:*

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit caelum et terram.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per mortem Unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, mundum restaurare misericorditer dignatus es, ut a morte perpetua nos liberares, et ad gaudia perduceres Paradisi: respice, quaesumus, pietatis tuae oculo devotam hanc familiam tuam, hic hodie in tuo nomine congregatam, cuius famulus tuus Beatus Franciscus, ut tibi augeatur credentium numerus, extitit Institutor. Illam super firmam petram, quae Christus est, confirma, ut ab omni-

bus turbationibus mundi, carnis et diaboli sit secura; et incedens per tuorum semitam mandatorum, meritis acerbissimae Filii tui passionis, et Immaculatae Matris eius semper Virginis Mariae, ac Beati Patris Nostri Francisci, omniumque Sanctorum, gaudia aeterna possideat. Per eumdem Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Oremus.

Domine Iesu Christe, qui tegumen nostrae mortalitatis induere, et in praesepio pannis involvi dignatus es, quique glorioso Confessori tuo Beato Patri Nostro Francisco tres Ordines instituere salubriter inspirasti, ac eosdem per Summos Ecclesiae Pontifices, tui Vicarios, approbare fecisti, immensam tuae clementiae largitatem suppliciter exoramus, ut haec indumenta, quae idem Beatus Franciscus ad poenitentiae indicium, ac pro valida contra saeculum, carnem et daemonem armatura commilitones suos fratres de Poenitentia in Tertio Ordine portare constituit, benedicere ✠, et sanctificare ✠ digneris, ut hic famulus tuus (*vel* haec famula tua), ea devote suscipiens, te ita induat, ut in spiritu humilitatis viam mandatorum tuorum ad mortem usque fideliter percurrat. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

℟. Amen.

Si qui induendi sunt, plures fuerint, pronuntiabit in plurali quae in singulari posita sunt.

Pro Benedictione Cinguli, seu Chordae, dicet:

Oremus.

Deus, qui ut servum redimeres, Filium tuum per manus impiorum ligari voluisti, benedic ✠,

quaesumus, cingulum istum; et praesta, ut famulus tuus, qui (*vel* famula tua, quae) hoc poenitentiae ligamine praecingitur vinculorum eiusdem Domini nostri Iesu Christi perpetuo memor existat, tuisque semper obsequiis alligatum (*vel* alligatam) se esse cognoscat. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat, in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

℟. Amen.

Tunc habitum et cingulum aspergit aqua benedicta, nihil dicens.

Postea in altaris infimo gradu, vel in suppedaneo ganuflectens, incipit Hymnum Veni Creator, *pag. 126, quem cum adstantibus alternatim recitat, aut canit usque ad finem.*

Hymno absoluto, ad Postulantem coram altari genuflexum conversus, dicit:

Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus suis, et cor tuum avertat a saeculi pompis quibus abrenunciasti, dum Baptismum suscepisti.

℟. Amen.

Tunc imponens habitum seu scapulare dicit:

Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis.

℟. Amen.

Deinde cingulum porrigens dicit:

Praecingat te Dominus cingulo puritatis, et extinguat in lumbis tuis humorem libidinis, ut maneat in te virtus continentiae et castitatis.

℟. Amen.

Demum Candela seu Cereus accensus porrigitur, his verbis:

Accipe, Frater carissime (*vel* Soror carissima),

lumen Christi, in signum immortalitatis tuae, ut mortuus (*vel* mortua) mundo, Deo vivas, fugiens opera tenebrarum. Exurge a mortuis, et illuminabit te Christus.

℟. Amen.

Denique ad altare conversus Sacerdos intonat Psalmum:

Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia eius: et veritas Domini manet in aeternum.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

℣. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.

℟. A templo sancto tuo, quod est in Ierusalem.

℣. Salvum fac servum tuum (*vel* salvam fac famulam tuam).

℟. Deus meus, sperantem in te.

℣. Mitte ei, Domine, auxilium de Sancto.

℟. Et de Sion tuere eum (*vel* eam).

℣. Nihil proficiat inimicus in eo (*vel* in ea).

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus misericordiae, Deus pietatis, Deus a quo bona cuncta procedunt, sine quo nihil sanctum inchoatur, nihilque perficitur, precibus nostris benignus assiste, et hunc famulum tuum (*vel* hanc famulam tuam), cui in tuo sancto nomine sacrum

poenitentiae habitum imposuimus, ab omnibus periculis mentis et corporis tua protectione defende, et concede ei in sancto proposito ad finem usque perseverare, ut peccatorum suorum remissione percepta, ad consortium electorum tuorum pervenire mereatur.

Deus, qui per immaculatam Virginis Conceptionem, dignum Filio tuo habitaculum praeparasti: quaesumus; ut qui, ex morte eiusdem Filii tui praevisa, eam ab omni labe praeservasti, nos quoque mundos, eius intercessione, ad te pervenire concedas.

Deus, qui mira Crucis mysteria in tuo devotissimo Confessore Beato Francisco multiformiter demonstrasti, da famulis tuis, ipsius semper exempla sectari, et assidua eiusdem Crucis meditatione muniri.

Pro Fratre.

Deus, qui Beatum Ludovicum Confessorem tuum de terreno regno ad caelestis regni gloriam transtulisti; eius, quaesumus, meritis et intercessione, Regis regum Iesu Christi Filii tui, facias nos esse consortes. Qui tecum vivit et regnat in saecula saeculorum.

℟. Amen.

Pro Sorore.

Tuorum corda fidelium, Deus miserator, illustra, et Beatae Elisabeth precibus gloriosis, fac nos prospera mundi despicere, et caelesti semper consolatione gaudere. Per Christum Dominus nostrum.

℟. Amen.

Hisce peractis, Visitator dicet:

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

Et conversus ad circumstantes, omnibus benedicet, dicens:

Benedictio Dei omnipotentis, Patris, et Filii ✠, et Spiritus Sancti, descendat super vos, et maneat semper.

℟. Amen.

Peracta Caeremonia, Novitii (vel Novitiae) nomen et cognomen, patria et domicilium cum data Vestitionis in Registro inseruntur, hoc modo:

Anno Domini ....., mense ....., die ....., in Ecclesia *N.* ..... (*vel* oratorio vel in loco decenti) domus .....), praesente Fratrum (*vel* Sororum) Congregatione:

Infrascriptus ego N. Director (*vel* Sacerdos facultate munitus, *aut* Visitator *aut* Guardianus), habitum Tertii Ordinis Poenitentium S. Francisci imposui Domino N. N. (*vel* Dominae N. N.), habenti domicilium in civitate ....., (*vel* loco .....).

In quorum fidem ego scripsi.

Art. III.

Ordo recipiendi ad Professionem.

1. *Die Professionis habeatur Congregatio solemnis, et altare sicut pro festis ornetur. Novitius habitu integro Ordinis indutus, si fieri potest, vel exterius scapulare chordamque gerens, ante altare stat in plano genuflexus; sacerdos autem superpelliceo et stola alba indutus, in suppedaneo genuflectit, et ipso incipiente cantatur:* Veni Creator Spiritus, *etc., pag. 126.*

℣. Emitte Spiritum tuum et creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terrae.

Oremus.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti; da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de eius semper consolatione gaudere.

Da, quaesumus, Domine, huic famulo tuo (*vel* huic famulae tuae), quem (*vel* quam) Ordinis habitu decorare iam dignatus es, ad inchoati operis perfectionem feliciter pervenire. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

2. *Quo dicto, Sacerdos, ante altare sedens, Novitium, coram eo genuflexum, interrogat:*

Frater N. ....., (*vel* Soror N. .....), quid postulas?

Novitius respondet:

Reverende Pater, postulo admitti ad sanctam professionem in Tertio Ordine Sancti Francisci, ut in eo usque ad mortem Deo serviam.

Responso Deo gratias, *Sacerdos sanctitatem professionis emittendae breviter explicabit, expresse tamen admonens nullum votum nullamque sub peccati reatu strictam obligationem in hac professione includi; et iuxta ipsam Regulam ac S. Sedis declarationem, Tertiarios novo conscientiae vinculo supra ceteros Christianos nullatenus astringi. Attamen Novitii fervorem laudabit confirmabitque, salutares professionis effectus nonnullis Sanctorum exemplis ostendens; vel aliud quid pro circumstantiis opportunum dicens. Qua exhortatione paucis verbis conclusa, Novitius coram sacerdote genuflexus, iunctis manibus, pronuntiabit lingua vernacula formulam Professionis sequentem:*

Ego N. coram Deo omnipotente, ad honorem Immaculatae Beatae Virginis Mariae, et Beati Patris Francisci omniumque Sanctorum, promitto servare mandata Dei toto tempore vitae meae, et Regulam Tertii Ordinis, ab eodem beato Francisco institutam, iuxta formam a Nicolao Papa Quarto et a Leone Decimotertio confirmatam; item satisfacere ad Visitatoris placitum pro transgressionibus contra eamdem Regulam commissis.

Sacerdos subiunget:

Et ego ex parte Dei, si haec observaveris, promitto tibi vitam aeternam. In nomine Patris, et Filii ✠, et Spiritus Sancti.

℟. Amen.

3. *Cunctis autem surgentibus, cantatur Hymnus:*

Te Deum laudamus: te Dominum confitemur.

Te aeternum Patrem: omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli: tibi caeli et universae potestates.

Tibi Cherubim et Seraphim: incessabili voce proclamant:

Sanctus, Sanctus, Sanctus: Dominus Deus Sabaoth.

Pleni sunt caeli et terra, maiestatis gloriae tuae.

Te gloriosus Apostolorum Chorus,

Te Prophetarum laudabilis numerus,

Te Martyrum candidatus laudat exercitus.

Te per orbem terrarum sancta confitetur Ecclesia,

Patrem immensae maiestatis.

Venerandum tuum verum et unicum Filium,

Sanctum quoque Paraclitum Spiritum.

Tu Rex gloriae Christe.

Tu Patris sempiternus es Filius,

Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum.

Tu devicto mortis aculeo: aperuisti credentibus regna coelorum.

Tu ad dexteram Dei sedes: in gloria Patris.

Iudex crederis esse venturus.

Te ergo, quaesumus, tuis famulis subveni: quos pretioso sanguine redemisti.

Aeterna fac cum Sanctis tuis in gloria numerari.

Salvum fac populum tuum, Domine: et benedic haereditati tuae.

Et rege eos: et extolle illos usque in aeternum.

Per singulos dies benedicimus te.

Et laudamus nomen tuum in saeculum, et in saeculum saeculi.

Dignare Domine die isto, sine peccato nos custodire.

Miserere nostri, Domine: miserere nostri.

Fiat misericordia tua Domine super nos: quemadmodum speravimus in te.

In te, Domine, speravi: non confundar in aeternum.

Interim Fratres omnes (vel soli Discreti, si nimius sit Fratrum numerus), unus post alium pacem deferunt novo Professo, dicentes ei: Pax tecum, *quibus ille respondet:* Et cum spiritu tuo. *Eodem modo Sorores cum Sorore facient.*

4. *Hymno* Te Deum, *cantato, dicitur:*

℣. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.

℟. A templo sancto tuo, quod est in Ierusalem.

℣. Salvum fac servum tuum (*vel* salvam fac famulam tuam).

℟. Deus meus sperantem in Te.
℣. Mitte ei, Domine, auxilium de Sancto.
℟. Et de Sion tuere eum (*vel* eam).
℣. Nihil proficiat inimicus in eo (*vel* in ea).
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, cuius misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus, piissimae maiestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes, ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens ad praemia futura disponas.

Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem, dignum Filio tuo habitaculum praeparasti: quaesumus; ut qui, ex morte eiusdem Filii tui praevisa, eam ab omni labe praeservasti, nos quoque mundos, eius intercessione, ad te pervenire concedas.

Domine Iesu Christe, qui, frigescente mundo, ad inflammandum corda nostra tui amoris igne, in carne beatissimi Patris nostri Francisci passionis tuae sacra Stigmata renovasti: concede propitius; ut, eius meritis et precibus, crucem iugiter feramus, et dignos fructus poenitentiae faciamus.

Pro Fratre.

Deus, qui Beatum Ludovicum Confessorem tuum de terreno regno ad caelestis regni gloriam transtulisti; eius, quaesumus, meritis et intercessione, Regis regum Iesu Christi Filii tui facias nos esse consortes.

Pro Sorore.

Tuorum corda fidelium, Deus miserator, illustra; et Beatae Elisabeth precibus gloriosis, fac nos prospera mundi despicere, et caelesti semper consolatione gaudere.

Deus, qui famulum tuum (*vel* famulam tuam) a vanitate saeculi conversum (*vel* conversam), ad bravium supernae vocationis assequendum accendis; pectori eius illabere, et gratiam tuam, qua in te perseveret, illi infunde : ut protectionis tuae munitus (*vel* munita) praesidiis, quod te donante promisit, adimpleat, et sancte vivendi aliis semper exemplum praebens, ad ea, quae perseverantibus promissa sunt, aeterna praemia perveniat. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

℟. Amen.

Deinde dat novo Professo benedictionem, quam beatus Pater Franciscus super discipulum suum pronuntiavit:

Benedicat tibi Dominus, et custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui. Convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem. — Dominus te benedicat ✠. Amen.

Deinde super omnes:

Benedictio Dei omnipotentis, Patris, et Filii ✠, et Spiritus Sancti descendat super vos, et maneat semper.

℟. Amen.

Demum novo Professo pedes Crucifixi porrigit osculandos, in signum amoris erga Christum perpetui, ac sempiterni foederis.

5. *Conclusa Congregatione, statim in Regestis*

Professionum inseritur testimonium factae professionis, his verbis:

Infrascriptus ego N., Director (*vel* Sacerdos), ad professionem in Tertio Ordine Poenitentium S. Francisci admisi Dominum N. N., qui receperat habitum anno ....., mense ....., die ..... In quorum fidem, etc.

Subsequitur subscriptio P. Directoris seu Sacerdotis facultate muniti.

Novitius in mortis periculo constitutus, professionem praematuре permittitur emittere, etiam coram Confessario quocumque, si sacerdos facultate praeditus non possit commode vocari (in quo casu quemlibet Confessarium delegatum esse Ministri Generales declaraverunt): sed huiusmodi praematura professio non erit ante mortem in Registro scribenda: quum, aegroto sanitatem recuperante, professio rursus emittenda sit, et tunc scribenda.

Art. IV.

Particularis Discretorum Congregatio.

Una vice singulis mensibus Pater Visitator vel Director, et Minister ac omnes Officiales ceterique Discreti privatim congregabuntur. Pater Director, vel Visitator, aut Guardianus praeses sedebit, et Minister aliique Officiales ac Discreti, unusquisque in ordine iuxta gradum suum, assidebunt, et dicent:

Veni, Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende.

Sub tuum praesidium confugimus, Sancta Dei Genitrix: nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris; sed a periculis cunctis libera nos semper Virgo gloriosa et benedicta.

Respice, Beate Pater Francisce, de excelso caelorum habitaculo, et deprecare pro populo tuo, populo quem elegisti, ut serviat coram te omni tempore in ministerio Domini.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, *secreto*.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Memor esto Congregationis tuae.
℟. Quam possedisti ab initio.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Mentes nostras, quaesumus, Domine, lumine tuae claritatis illustra, ut videre possimus quae agenda sunt, et quae recta sunt agere valeamus. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Congregatione peracta, dicetur:

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster, *secreto*.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.
℟. A templo sancto tuo, quod est in Ierusalem.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Praesta nobis, quaesumus, Domine, auxilium gratiae tuae, ut quae te auctore facienda cognovimus, te adiuvante, implere valeamus.

Deus, sine quo nihil est validum, nihil sanctum, multiplica super nos misericordiam tuam, ut te rectore, te duce, sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus aeterna. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Agimus Tibi gratias, omnipotens Deus, pro universis beneficiis tuis: qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

℟. Amen.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

℣. Et fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace.

℟. Amen.

Art. V.

Electiones.

Cantatur vel recitatur hymnus Veni, Creator Spiritus, *etc., pag. 126.*

Facta electione, et publicatis electorum nominibus, cantatur hymnus: Te Deum laudamus, *pag. 137.*

Deinde:

℣. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.

℟. A templo sancto tuo, quod est in Ierusalem.

℣. Ora pro nobis, Sancta Dei Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

℣. Signasti, Domine, servum tuum Franciscum.

℟. Signis redemptionis nostrae.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, cuius misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus: piissimae maiestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes; ut, qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens, ad praemia futura disponas.

Deus, qui per immaculatam Virginis Conceptionem, dignum Filio tuo habitaculum praeparasti: quaesumus; ut qui, ex morte eiusdem Filii tui praevisa, eam ab omni labe praeservasti, nos quoque mundos, eius intercessione, ad te pervenire concedas.

Domine Iesu Christe, qui, frigescente mundo, ad inflammandum corda nostra tui amoris igne, in carne beatissimi Patris nostri Francisci passionis tuae sacra Stigmata renovasti: concede propitius; ut, eius meritis et precibus, crucem iugiter feramus, et dignos fructus poenitentiae faciamus. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

℟. Amen.
℣. Benedicamus Domino.
℟. Deo gratias.

Benedictio Dei omnipotentis, Patris, et Filii ✠, et Spiritus Sancti descendat super vos et maneat semper.

℟. Amen.

In electione Sororum eadem Ritualis methodus servanda erit.

Art. VI.

Caeremonia Visitationis.

1. *Nuntiato Visitatoris adventu, et adunata Congregatione, Fratres (vel Sorores) cantabunt versiculos Psalmi CV sequentes:*

Confitemini Domino quoniam bonus: * quoniam in saeculum misericordia eius.

Quis loquetur potentias Domini, * auditas faciet omnes laudes eius?

Beati qui custodiunt iudicium, * et faciunt iustitiam in omni tempore.

Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui: * visita nos in salutari tuo:

Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad laetandum in laetitia gentis tuae: * ut lauderis cum haereditate tua.

Gloria Patri, et Filio, * et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, * et in saecula saeculorum. Amen.

℣. Memento Congregationis tuae.

℟. Quam possedisti ab initio.

Oremus.

Conscientias nostras, quaesumus, Domine, visitando purifica: ut veniens Dominus noster Iesus Christus Filius tuus, paratam sibi in nobis inveniat mansionem. Qui tecum vivit et regnat in saecula saeculorum.

℟. Amen.

Deinde, Veni, Creator Spiritus, *pag. 126, cum* ℣. Emitte, *etc., ac oratione:* Deus, qui corda fidelium, *etc., pag. 127.*

Visitatio absolvetur cantico Zachariae:

Benedictus Dominus Deus Israel: * quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suae.

Et erexit cornu salutis nobis: * in domo David pueri sui.

Sicut locutus est per os sanctorum, * qui a saeculo sunt, prophetarum eius.

Salutem ex inimicis nostris, * et de manu omnium, qui oderunt nos.

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, * et memorari testamenti sui sancti.

Iusiurandum, quod iuravit ad Abraham patrem nostrum, * daturum se nobis.

Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, * serviamus illi.

In sanctitate, et iustitia coram ipso, * omnibus diebus nostris.

Et tu puer, Propheta Altissimi vocaberis: * praeibis enim ante faciem Domini parare vias eius.

Ad dandam scientiam salutis plebi eius: * in remissionem peccatorum eorum.

Per viscera misericordiae Dei nostri, * in quibus visitavit nos oriens ex alto.

Illuminare his, qui in tenebris, et in umbra mortis sedent: * ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Gloria Patri, et Filio, * et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, * et in saecula saeculorum. Amen.

℣. Visitasti terram et inebriasti eam.

℟. Multiplicasti locupletare eam.

Oremus.

Da famulis tuis, Domine, indulgentiam peccatorum, consolationem vitae, gubernationem perpe-

tuam: ut tibi servientes, ad tuam iugiter misericordiam pervenire mereantur.

Familiam tuam, quaesumus, Domine, continua pietate custodi: ut quae in sola spe gratiae caelestis innititur, tua semper protectione muniatur. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Deinde Benedictio Sanctissimi Sacramenti, si habeatur licentia; secus preces absolvantur sicut in fine Congregationum, pag. 142.

Art. VII.

Ritus servandus in aperienda nova Congregatione.

Praeses Congregationem aperiet cantando Psalm. CX.

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, * in consilio iustorum, et congregatione.

Magna opera Domini: * exquisita in omnes voluntates eius.

Confessio et magnificentia opus eius: * et iustitia eius manet in saeculum saeculi.

Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors et miserator Dominus: * escam dedit timentibus se.

Memor erit in saeculum testamenti sui: * virtutem operum suorum annuntiabit populo suo.

Ut det illis haereditatem Gentium: * opera manuum eius veritas, et iudicium.

Fidelia omnia mandata eius: confirmata in saeculum saeculi, * facta in veritate et aequitate.

Redemptionem misit populo suo: * mandavit in aeternum testamentum suum.

Sanctum et terribile nomen eius: * initium sapientiae timor Domini.

Intellectus bonus omnibus facientibus eum: * laudatio eius manet in saeculum saeculi.

Gloria Patri, et Filio, * et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, * et in saecula saeculorum. Amen.

℣. Sperate in eo omnis congregatio populi.

℟. Effundite coram illo corda vestra.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui misericordia tua hos fideles specialiter aggregasti: in eorum corda, quaesumus, Paraclitum, qui a te procedit, infunde; illosque in tua fide et caritate corrobora, ut temporali congregatione proficiant ad aeternae felicitatis augmentum.

Deus, qui de vivis et electis lapidibus aeternum maiestati tuae praeparas habitaculum: largire his fidelibus benedictionem tuam; ut et ipsi tamquam lapides vivi superaedificentur super lapidem vivum Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

Defende, quaesumus Domine, Beata Maria semper Virgine intercedente, istam ab omni adversitate familiam: et toto corde tibi prostratam, ab hostium propitius tuere clementer insidiis. Per Dominum nostrum Iesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

℟. Amen.

Deinde recitatis Veni Creator, *pag. 126, et precibus initio Congregationum solitis, pag. 127, Praeses Officialcs, nominabit. Demum dies diversos pro lucrandis infra annum Indulgentiis annuntiabit; et primum hunc Conventum absolvet hymno* Te Deum, *pag. 137 et post hymnum dicet:*

℣. Benedicamus Patrem et Filium, cum Sancto Spiritu.

℟. Laudemus, et superexaltemus eum in saecula.

℣. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.

℟. A templo sancto tuo, quod est in Ierusalem.

℣. Memor esto Congregationis tuae.

℟. Quam possedisti ab initio.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, cuius misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus; piissimae maiestati tuae pro collatis donis gratias agimus: tuam semper clementiam exorantes; ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens ad praemia futura disponas.

Deus largitor pacis, et amator caritatis; da famulis tuis in nomine tuo congregatis veram cum tua voluntate concordiam: ut ab omnibus liberentur adversis.

Deus, qui per immaculatam Virginis Conceptionem, dignum Filio tuo habitaculum praeparasti: quaesumus; ut qui, ex morte eiusdem Filii tui praevisa, eam ab omni labe praeservasti, nos quoque mundos, eius intercessione, ad te pervenire concedas.

Deus, qui Ecclesiam tuam beati Patris nostri Francisci meritis foetu novae prolis amplificas: tribue nobis ex eius imitatione terrena despicere, et caelestium donorum semper participatione gau-

dere. Per Dominum nostrum Iesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

℟. Amen.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

℣. Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace.

℟. Amen.

Datur in fine benedictio Sanctissimi Sacramenti, vel saltem benedictio simplex sicut in die receptionis:

Benedictio Dei omnipotentis Patris, et Filii ✠, et Spiritus Sancti, descendat super vos, et maneat semper. Amen.

Post caeremoniam, Praeses cum Officialibus collocabit in Archivio Documentum Receptionum et Professionum aliosque Congregationis libros cum propriis titulis, simulque Testimonium erectionis factae autenticum, quod concipi potest his verbis:

Anno Domini ....., mense ....., die ..... Infrascriptus ego N. Guardianus (*vel* Visitator *aut* Director *aut* Sacerdos facultatibus legitimis a N. receptis munitus) erexi Congregationem Tertii Ordinis sub invocatione et patrocinio S. N. ....., in loco ....., Testibus N. N. praesentibus. In quorum fidem cum Testibus subscripsi.

Art. VIII.

Ritus impertiendi Tertiariis Papalem Benedictionem.

Benedictio, nomine Summi Pontificis impertienda, detur bis in anno, sic concedente Leone XIII P. M., et quidem iuxta formulam Benedicti XIV: at non eodem die nec in eodem loco ubi Episcopus eam impertiat. Quum igitur secundum praedictam formulam talis benedictio super populum effundatur, ideo non singulis seorsim Tertiariis, sed adunatae Congregationi danda est, ab ipso eius Praeside, cui commissa intelligitur impertitio illius benedictionis. Director vel quicumque sacerdos facultatem habens accedet ad altare superpelliceo et stola alba indutus, nullisque circumadstantibus Ministris; et genuflexus dicet:

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit caelum et terram.
℣. Salvum fac populum tuum, Domine.
℟. Et benedic haereditati tuae.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Deinde, stans, sequentem recitat orationem:

Oremus.

Omnipotens et misericors Deus, da nobis auxilium de sancto, et vota populi huius in humilitate cordis veniam peccatorum poscentis, tuamque benedictionem postulantis et gratiam, clementer exaudi: dexteram tuam super eum benignus extende; ac plenitudinem divinae benedictionis effunde qua bonis omnibus cumulatus, felicitatem et vi-

tam consequatur aeternam. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Deinde ad cornu Epistolae accedens, et stans ibi, unico signo Crucis, benedicat, proferens alta voce haec verba:

Benedicat vos omnipotens Deus, ✠ Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus.

℟. Amen.

Art. IX.

Formula Benedictionis cum Indulgentia Plenaria pro Tertiariis saecularibus.

Praeter benedictionem nomine Summi Pontificis, aliae quoque Benedictiones cum adnexa plenaria Indulgentia Tertiariis Franciscalibus conceduntur statutis anni diebus, qui in Bulla Misericors Dei Filius *Summi Pontificis Leonis XIII, III Kalendas Iunias 1883 edita, recensentur in Indice Indulgentiarum Cap. I, num. VIII* [1].

Formula constituta ab eodem Summo Pontifice Leone XIII per Breve Quo universi, *diei 7 Iulii 1882.*

Antiph. Intret oratio mea in conspectu tuo, Domine; inclina aurem tuam ad preces nostras; parce, Domine, parce populo tuo, quem redemisti sanguine tuo pretioso, ne in aeternum irascaris nobis.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, *secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvos fac servos tuos.

[1] Hi dies recensentur supra Parte II, Tit. I, Cap. I, n. II, pag. 76; quibus addas dies recensitos in eadem Parte, Tit. V, n. *a*) pag. 95, iuxta Indultum Pii Pp. X diei 5 Maii 1909.

℟. Deus meus, sperantes in te.

℣. Mitte eis, Domine, auxilium de Sancto.

℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Esto eis, Domine, turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere; suscipe deprecationem nostram, ut nos, et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat.

Exaudi, quaesumus, Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis: ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem.

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende: ut simul nos et a peccatis omnibus exuas, et a poenis, quas pro his meremur, eripias.

Deus, qui culpa offenderis, poenitentia placaris: preces populi tui supplicantis propitius respice: et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Dicto ab adstantibus Confiteor *etc. dicat:*

Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam aeternam.

℟. Amen.

Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens et misericors Dominus. ℟. Amen.

Sacerdos prosequitur:

Dominus Noster Iesus Christus, qui beato Petro Apostolo dedit potestatem ligandi atque solvendi, Ille vos absolvat ab omni vinculo delictorum, ut habeatis vitam aeternam, et vivatis in saecula saeculorum. Amen.

Per sacratissimam Passionem et Mortem Domini Nostri Iesu Christi; precibus et meritis beatissimae semper Virginis Mariae, beatorum Apostolorum Petri et Pauli, beati Patri nostri Francisci, et omnium Sanctorum, auctoritate a Summis Pontificibus mihi concessa, plenariam Indulgentiam omnium peccatorum vestrorum vobis impertior. In nomine Patris, et Filii ✠, et Spiritus Sancti. Amen.

Si haec Indulgentia immediate post Sacramentalem absolutionem impertiatur, reliquis omissis, Sacerdos absolute incipiat a verbis: Dominus noster Iesus Christus, *etc., et ita prosequatur usque ad finem, plurali tantum numero in singularem immutato.*

Si adiuncta vetent integram adhibere formulam, Sacerdos, reliquis omissis, dicere poterit:

Auctoritate a Summis Pontificibus mihi concessa plenariam omnium peccatorum tuorum Indulgentiam tibi impertior. In nomine Patris, et Filii ✠, et Spiritus Sancti. Amen.

Art. X.

Absolutio « in articulo mortis ».

Ad impertiendam Indulgentiam Plenariam Tertiariis in mortis articulo constitutis, Pater Director vel Confessarius quicumque approbatus, a Tertiario vocatus, formulam adhibebit a Benedicto XIV et rursus a Leone XIII praescriptam ac in Rituali Romano insertam, videlicet:

Ingrediendo cubiculum, ubi iacet infirmus, dicat:

℣. Pax huic domui.

℟. Et omnibus habitantibus in ea.

Deinde aegrotum, cubiculum et circumstantes aspergat aqua benedicta, dicendo Antiphonam:

Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor; *et primum versum Psalmi* Miserere, *cum* Gloria Patri, *etc.*, Sicut erat, *etc.*

Deinde repetitur:

Ant. Asperges me, *etc.*

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit caelum et terram.

Ant. Ne reminiscaris, Domine, delicta famuli tui, (*vel* ancillae tuae) neque vindictam sumas de peccatis eius.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, *secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvum fac servum tuum (*vel* salvam fac ancillam tuam).

℟. Deus meus, sperantem in te.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Clementissime Deus, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui neminem vis perire in te credentem atque sperantem, secundum multitudinem miserationum tuarum respice propitius famulum tuum (*vel* famulam tuam) N., quem (*vel* quam) tibi vera fides, et spes christiana commendat. Visita eum (*vel* eam) in salutari tuo, et per Unigeniti tui passionem et mortem, omnium delictorum suorum remissionem et veniam clementer indulge: ut eius anima, in hora exitus sui, te iudicem propitiatum inveniat, et in Sanguine eiusdem Filii tui ab omni macula abluta, transire ad vitam mereatur perpetuam. Per eumdem Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Tum dicto ab uno e Clericis adstantibus Confiteor *etc., Sacerdos dicat,* Misereatur *etc., ut pag. 153, plurali numero in singularem immutato, ac deinde:*

Dominus noster Iesus Christus, Filius Dei vivi, qui beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi atque solvendi: per suam piissimam misericordiam recipiat confessionem tuam, et restituat tibi stolam primam, quam in Baptismate recepisti: et ego, facultate mihi ab Apostolica Sede tributa, indulgentiam plenariam, et remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris, et Filii ✠, et Spiritus Sancti.

Per sacrosancta humanae reparationis Mysteria, remittat tibi omnipotens Deus omnes praesen-

tis et futurae vitae poenas, Paradisi portas aperiat, et ad gaudia sempiterna perducat. Amen.

Benedicat te omnipotens Deus, Pater, et Filius ✠, et Spiritus Sanctus. Amen.

Si vero infirmus sit morti proximus, ut neque confessionis generalis faciendae neque praemissarum precum recitandarum tempus suppetat, statim Sacerdos ei Indulgentiam impertiatur dicens: Dominus Noster, *etc.*

Et si mors proxime urgeat, dicat:

Indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum tibi concedo, in nomine Patris, et Filii ✠, et Spiritus Sancti. Amen.

INDEX

PAG.

Approbatio Superiorum 3

Praefatio Auctoris 5

Acta solemniora Leonis XIII et Pii X Summorum Pontificum, de Tertio Ordine saeculari S. Francisci Assisiensis.

I. Epistola Encyclica Leonis Pp. XIII ad Episcopos universos catholici Orbis, de Sancto Francisco Assisiensi, et de Tertio Franciscalium Ordine 7

II. Constitutio Leonis Pp. XIII de lege Franciscalium Tertii Ordinis saecularis 11

III. Breve Apostolicum Leonis Pp. XIII, quo Tertio Ordini saeculari novae conceduntur Indulgentiae ac spirituales gratiae . 15

IV. Litterae Pii Pp. X ad Ministrum Generalem Ordinis Minorum, de Tertio Ordine, quibus conceditur Tertiariis communicatio Indulgentiarum et bonorum spiritualium cum Primo et Secundo Ordine 18

V. Rescriptum Pii Pp. X de mutua communicatione Indulgentiarum et spiritualium fructuum inter Seraphici Patris asseclas. 20

VI. Epistola Pii Pp. X de disciplina Tertii Ordinis caute moderanda ne ulla in re ab instituto deflectat 22

PARS PRIMA.

De legibus Tertii Ordinis saecularis S. Francisci Assisiensis.

Titulus I. Regula Tertii Ordinis saecularis, per Constitutionem *Misericors Dei Filius* a Leone Pp. XIII die 30 maii 1883 promulgata 29

PAG.

Titulus II. Explanatio in Caput primum Regulae Tertii Ordinis saecularis 33
Articulus I. De aggregatione ad Tertium Ordinem . . . . . *ib.*
Articulus II. De habitu Tertii Ordinis 35
Articulus III. De Novitiatu in Tertio Ordine 38
Articulus IV. De Professione in Tertio Ordine 40
Titulus III. Explanatio in Caput secundum Regulae Tertii Ordinis saecularis 41
Articulus I. De Divino Officio . . . . . *ib.*
Articulus II. De Coetu et Conferentia mensili 42
Articulus III. De Tertiariis aegrotantibus 44
Articulus IV. De funere et exsequiis Tertiariorum . . . . . *ib.*
Titulus IV. Explanatio in Caput tertium Regulae Tertii Ordinis saecularis 49
Articulus I. De erectione Congregationum Tertii Ordinis . . . *ib.*
Articulus II. De iure praecedentiae Tertiariorum Congregatorum. 53
Articulus III. De opportune curandis in Congregatione bene ordinata 54
Articulus IV. De Officialibus Congregationis, in genere. . . . 56
Articulus V. De Directore seu Commissario 57
Articulus VI. Regulae servandae in postulantibus ad Congregationem admittendis 58
Articulus VII. De Ministro vel Ministra 60
Articulus VIII. De Sub-Ministro vel Sub-Ministra 61
Articulus IX. De Consiliariis vel Discretis. 62
Articulus X. De Secretario vel Secretaria. 63
Articulus XI. De eleemosinarum Custode . . . . . *ib.*
Articulus XII. De Magistro Novitiorum vel Magistra Novitiarum. 64
Articulus XIII. De Infirmariis 65
Articulus XIV. De Capitulo triennali. 66
Articulus XV. De Sessione quolibet anno habenda 67
Articulus XVI. De Sessionibus communibus Discretorii . . . 68
Articulus XVII. De consociatione et congressibus Congregationum Tertii Ordinis 70
Articulus XVIII. De Visitatoribus Congregationum 72

PARS SECUNDA.

De Indulgentiis Tertii Ordinis saecularis S. Francisci Assisiensis.

PAG.

Titulus I. Indulgentiae, privilegia et Indulta Tertio Ordini directe concessa. 75

Titulus II. Elenchus Indulgentiarum Stationum Urbis, de quibus in Summario Tertiariorum Capite secundo. 84

Titulus III. Elenchus Indulgentiarum, quae omnibus fidelibus Ecclesias Franciscales visitantibus concessae sunt, et circa quas versatur Indultum concessum Tertiariis, prout in Summario Capite quinto, numero sexto 85

Titulus IV. Elenchus Indulgentiarum, quas Tertiarii, sicut et caeteri fideles in Ecclesiis Franciscalibus lucrari possunt . . . 92

Titulus V. Elenchus Indulgentiarum, quas Tertiarti lucrari possunt ob communicationem cum Primo et Secundo Ordine, iuxta Indultum Pii Pp. X die 5 maii 1909 per Litteras *Sodalium e Tertio Ordine* concessum 95

Titulus VI. Explanationes quoad indulgentias, quae a Tertiariis Franciscalibus lucrari possunt 97

Articulus I. De notione Indulgentiarum . . . . . *ib.*

Articulus II. De conditionibus requisitis ad quamlibet Indulgentiam lucrandam 99

Articulus III. De conditionibus quae ad Indulgentias Plenarias lucrandas requiruntur 103

§ I. De Confessione et Communione 104

§ II. De visitatione Ecclesiae et piis precibus 107

Articulus IV. De Precibus Tertiariorum, ac de Indulgentiis pro Corona Franciscana et pro sex *Pater, Ave* et *Gloria* . . . 115

Articulus V. De Benedictione Papali et Absolutione generali . 116

Arliculus VI. De Absolutione *in articulo mortis* 122

PARS TERTIA.

De Sacris Actionibus in Tertio Ordine saeculari S. Francisci Assisiensis.

PAG.

Titulus unicus. Caeremoniale Tertii Ordinis Sancti Francisci . . 125
Articulus I. Preces pro Congregationibus mense quolibet aliove tempore celebrandis. . . . . *ib.*
Articulus II. Ordo recipiendi ad habitum 130
Articulus III. Ordo recipiendi ad Professionem. 135
Articulus IV. Particularis Discretorum Congregatio 141
Articulus V. Electiones 143
Articulus VI. Caeremonia Visitationis. 145
Articulus VII. Ritus servandus in aperienda nova Congregatione 147
Articulus VIII. Ritus impertiendi Tertiariis Papalem Benedictionem. 151
Articulus IX. Formula Benedictionis cum Indulgentia Plenaria pro Tertiariis saecularibus 152
Articulus X. Absolutio *in articulo mortis*. 155